


DE SYRTICIS EMPORIIS

ANICII. — EX TYPIS MARCHESSOU FILIORUM

DE SYRTICIS EMPORIIS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS

Marie
CL.aude PERROUD

OLIM SCOLÆ NORMALIS ALUMNUS



PARISIIS

APUD BIBLIOPOLAS HACHETTE ET SOCIOS

79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

M DCCC LXXXI

SUMMO ET DOCTISSIMO VIRO

C. TISSOT

ACADEMIÆ INSCRIPTIONUM ET LITTERARUM SOCIO
IN REBUS ANTIQUIS QUÆ AD GEOGRAPHIAM
PERTINENT MAGISTRO

GRATUS DEDICAVIT
CL. PERROUD

INDEX OPERUM

IN HAC COMMENTATIONE LAUDATORUM

INDEX OPERUM

IN HAC COMMENTATIONE LAUDATORUM

— Ammianus Marcellinus, Rerum gestarum libri XXXI.

— Antonini Augusti itinerarium, ed. Wesseling.

— d'Anville, Carte d'Afrique. Paris, 1749.

— Appiani Alexandrini Romanarum historiarum quæ supersunt. Ed. Didot (Dübner).

— Aristotelis Politica, ed. Bekker.

— ..... id.... Œconomica, id.

— Athenæi Deipnosophistæ, ed. Schweighaeuser.

— d'Avezac, Grands et petits géographes grecs et latins. Paris, 1856.

— H. Barth, Wanderungen durch die Küstenländer des Mittelmeeres, ausgeführt in den Jahren 1845, 1846 und 1847; erster Band. Berlin, 1849.

— Id. Reisen und Entdeckungen in nord-und Central-Afrika in den Jahren 1849 bis 1855. Gotha, 1857.

— Beechey, Proceedings of the expedition to explore the northern coast of Africa, from Tripoli eastward, in 1821 and 1822. London, 1828.

— Berlioux (E. F.), Doctrina Ptolemæi ab injuria recentiorum vindicata. Parisiis, 1874.

— Id., La première école de géographie astronomique et la prochaine découverte du pays des Garamantes. Lyon, 1878.

— id., Les anciennes explorations et les futures découvertes de l'Afrique centrale. Lyon, 1879.

— Bosworth Smith, Carthage and the Carthaginians, 1878.

— Carte de la régence de Tunis, dressée au Dépôt de la guerre, 1857, au 400,000^{e}.

— Carte générale de l'Algérie, dressée au Dépôt de la guerre, 1874 au 1600,000^{e}.

— Della Cella, Voyage en Afrique au royaume de Barcah et dans la Cyrénaïque (en 1819), traduction française. Paris, 1840.

— Cornelii Nepotis Vitæ, ed. C. Halm. Lipsiæ, 1880 ; — ed. Monginot, Paris.

— Corpus Inscriptionum latinarum, 1863.

— A. Daux, Recherches sur l'origine et l'emplacement des Emporia phéniciens dans le Zeugis et le Byzacium. Paris, 1869.

— Desfontaines, Recherches sur un arbrisseau connu des anciens sous le nom de *lotos;* Mémoires de l'Académie des sciences, 1788.

— Diodori Siculi Bibliothecæ historicæ quæ supersunt. Lipsiæ, 1829.

— Dionysii Halicarnassensis antiquitatum romanarum libri XX. Lipsiæ, 1874.

— H. Duveyrier, les Touareg du Nord. Paris, 1864.

— Edrisi, Géographie, trad. Am. Jaubert. Paris. 1837-1839.

— Egger, Examen critique des historiens anciens de la vie et du règne d'Auguste. Paris, 1844.

— El Bekri, Description de l'Afrique septentrionale, traduite par Mac Guckin de Slane. Paris, 1859.

— Ethicus, Cosmographia (Riese, p. 71-103).

— Eusèbe (d'après Movers, II, 39).

— L'Explorateur. Paris, 1876.

— Féraud, Notes sur un voyage en Tunisie et en Tripolitaine, Revue africaine, n°s 119-120, septembre-décembre 1876.

— Juli Flori Epitomæ, ed. C. Halm. Lipsiæ, 1863.

— V. Guérin, Voyage archéologique dans la régence de Tunis, exécuté en 1860. Paris, 1862.

— Heeren, Idées sur la politique et le commerce de l'antiquité; traduit par W. Suckau. 1830-1834, 6 vol.

— W. Helbig, Cenni sopra l'arte fenicia, Annali dell' Instituto di correspondenza archeologica, vol. XLVIII.
— Herodoti historiarum libri novem, ed. Palm. Lipsiæ, 1853.
— Heyne, Opuscula Academica, volumen III. Gottingæ, 1788.
— A. Hirtius, de bello Africano, ed. Dinder. Lipsiæ, 1876.
— Hornemann, Voyage dans l'Afrique septentrionale depuis le Caire jusqu'à Mourzouk, suivi d'éclaircissements sur la géographie de l'Afrique par M. Rennell; traduction française. Paris, 1803.
— Isidori Hispalensis Originum libri XX. Bâle, 1577.
— Isocrate, Evagoras, ed. Didot.
— Itinerarium maritimum, ed. Wesseling, à la suite de l'Itinéraire d'Antonin (p. 487 et sqq.).
— Justinus, Historiarum Philippicarum epitoma, ed. Jeep. Lipsiæ, 1872.
— H. Kiepert, Lehrbuch der alten Geographie. Berlin, 1878.
— Fr. Lenormant, Manuel d'histoire ancienne de l'Orient, t. III. 1869.
— Jean Léon l'Africain, Description de l'Afrique. Traduction française. Lyon, 1556, Jean Temporal.
— Lyon, A narrative of travels in northern Africa, in the years 1818, 19 and 20. London, 1821.
— H. von Maltzan, Reise in den Regentschaften Tunis und Tripolis. Leipzig, 1870.
— L. Marcus et Duesberg, Géographie ancienne des États Barbaresques, d'après l'allemand de Mannert. Paris, 1842.
— G. Maspéro, Histoire ancienne des peuples de l'Orient. 3e édit. Paris, 1878.
— Otto Meltzer, Geschichte der Karthager. Berlin, 1879.
— Mommsen, Histoire Romaine, trad. Alexandre.
— Mouchez (E.), Carte de la côte septentrionale d'Afrique entre Sfak's et Benghazi, nos 3584, 3604, 3601, 3588, 3602. — 1877-1878. (Dépôt des Cartes et Plans de la Marine.)
— id., Rapport à l'Académie des sciences sur l'exploration des golfes des deux Syrtes entre Sfak's et Benghazi, séances des 8

et 15 janvier 1877. — Comptes-rendus hebdomadaires de l'Acad. des sciences, t. LXXXIV, p. 49-55, 97-101.

— Movers, Das phönizische Alterthum. Berlin, 1849-1856.

— C. Müller, Geographi græci minores. Paris, Didot, 1855-1861.

— L. Müller, Numismatique de l'Afrique ancienne.

— Niebuhr, Rœmische Geschichte, 1827-1832.

— Nonnus, Dionysiaques, ed. Græfe. Leipzig, 1819-1826.

— Notitia dignitatum, etc..... ed. Bœcking, 1839-1853.

— Pauly, Real-Encyclopädie der classischen Alterthumwissenschaft. art. Carthago, Byzacium, Zeugitana regio, Syrtica regio.

— Petermann und Hassenstein : Karte von Inner Afrika, maassstab : 1/2.000.000. (Mittheilungen, 1862, Ergänzungsheft n° 8.)

— Tabula Peutingeriana, ed. Ernest Desjardins, 1868 et seq.

— Phlegontis Tralliani fragmenta (Fragmenta historicorum græcorum, ed. Didot, t. III).

— Pindari carmina, ed. Schneidewin. Gothæ, 1843.

— Plauti fabulæ, ed. Naudet, 1830-32.

— Plinii (C. Secundi) naturalis historiæ libri XXXVII, ed. Sillig, 1851-58.

— Plutarchi Vitæ ; ed. Sintenis. Lipsiæ, 1877.

— Polybii Historiarum reliquiæ. Ed. Didot, 1839.

— Polyæni Stratagemata, ed. Coraÿ, 1809.

— Pomponii Melæ de chorographia libri tres. ed. C. Frick. Lipsiæ, 1880.

— Procopius, De Ædificiis (corpus scriptorum historiæ Byzantinæ, ed. Niebuhr, Bonn, 1838, 2e vol.).

— Cl. Ptolemæi Geographiæ libri octo, ed. Wilberg ; Essendiæ, 1843 ; — ed. Nobbe, Lipsiæ, 1843-1845.

— Ravennatis anonymi cosmographia ; ed. Pinder et Parthey. Berolini, 1860.

— Recherches sur l'histoire de la Régence d'Alger. Paris, 1835. (Par MM. Hase, Walckenaër et Dureau de la Malle.)

— E. Reclus, Géographie universelle.

— A. Riese, Geographi latini minores. Heilbronnæ, 1878.

— Gerhard Rohlfs, Reise durch Marocco, 1860.

— A. Roscher, Ptolemæus und die Handelsstrassen in Central-Africa. Gotha, 1857.
— M. Russell, History and present condition of the Barbary states. 2e édit. Edinburgh, 1835.
— Sainte-Croix, Remarques sur les deux premiers traités conclus entre les Romains et les Carthaginois ; Mémoires de l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres, t. XLVI. Paris, 1793.
— Sainte-Marie (Pricot de), Notes sur la Tunisie méridionale, Bulletin de la Société de Géographie de Paris, 3e série, tome VIII.
— Gai Sallusti Crispi, de Bello jugurthino, ed. Dietsch. Lipsiæ, 1879.
— Shaw, Voyages dans plusieurs provinces de la Barbarie et du Levant, traduction française. La Haye, 1743.
— Silius Italicus, Punica, ed. Nisard.
— Solinus (C. Julius), Polyhistor. Ed. Bipontina.
— Spruner-Menke, Atlas antiquus. Gotha, 1865.
— Stephanus Byzantinus. Lipsiæ, 1825.
— Stieler, Hand-Atlas. Gotha, 1873.
— Strabonis Geographica, ed. Didot, 1853-1858.
— Cornelii Taciti Historiarum libri V, ed. Halm. 1875.
— S. Grenville Temple, Excursions in the Mediterranean, Algiers and Tunis. Londres, 1835.
— P. Terenti comœdiæ, ed. Fr. Umpfenbach ; Berolini, 1870.
— Theophrasti de historia plantarum libri IX, Th. Gaza interprete. Basileæ, 1550.
— Lex Thoria. — V. Novum Enchiridion juris romani, ed. Charles Giraud. Paris, 1873.
— Thrige, Res Cyrenensium. Hafniæ, 1828.
— Thucydidis de Bello Peloponnesiaco libri VIII. ed. Boehme. Lipsiæ, 1877.
— Tirant et Rebatel, Excursion en Tunisie. Bulletin de la Société de Géographie de Lyon, n° 1, 1875.
— C. Tissot, De Tritonide lacu. Divione, 1863.
— id., Des routes romaines du sud de la Byzacène. (*Revue africaine*, n° 3, février 1857). — Erratum. (*Revue africaine*, juillet 1861.)

— id., Notice sur le Chott-el-Djerid. (Bulletin de la Société de Géographie de Paris, juillet 1879.)

— id., La Libye d'Hérodote (Bulletin de correspondance hellénique, juin-juillet 1877).

— id., Recherches sur la géographie comparée de la Maurétanie Tingitane. Paris, 1877.

— Titi Livi ab Urbe condita libri, ed. Wilh. Weissenborn. Lipsiæ, 1877-78.

— Valeri Maximi factorum et dictorum memorabilium libri IX, ed. Halm. Lipsiæ, 1865.

— Vivien Saint-Martin, Histoire de la Géographie. Paris, 1873-1874.

— id., Le Nord de l'Afrique dans l'antiquité grecque et romaine. Paris, 1863.

— Wende, Ueber die zwischen Rom und Carthago vor Ausbruch des ersten punischen Krieges abgeschlossenen Verträge. Bonn, 1876.

PRÆFATIO

PRÆFATIO

Polybius ac Livius [1] de *Emporiis* mentionem fecerunt quæ circum minorem Syrtim Pœni possidebant, tam frequentia ut cum illo littore eorum nomen communicaretur. Nos autem destinatum habemus exquirere :

a) Quæ nomina antiquis illis *Emporiis* fuerint et in quo loco unum quodque steterit;

b) Quæ jura a Pœnis acceperint, quantum valuerint in mercatura, quantum ad Carthaginis ipsius prosperitatem et opes contulerint.

Cujus incepti ad priorem partem elaborandam ac perficiendam hoc certe præstamus, si quis antea idem inchoaverit, quod nobis tabula de his littoribus diligentissime descripta [2] uti demum contigit. Quam assidue tractantes, simulque antiquorum testimonia sedulo perpensa et inter se comparata cum documentis cujusque viatoris ex recentioribus gravissimi conferentes, id assequi posse speramus ut quædam, prius obscura, illustrentur.

1. Polyb., I, 82; III, 23; XXXII, 2; — Liv., XXIX, 25; XXXIV, 62.

2. Carte de la côte septentrionale d'Afrique entre Sfak's et Benghazi, levée en 1876 par M. E. Mouchez, capitaine de vaisseau, publiée en 1878 (Dépôt des cartes et plans de la marine).

Nobis vero alteram operis partem ineuntibus imprimis erant veterum scripta, quæ supersunt, intentius scrutanda; nempe existimamus ea fuisse plerumque inconsiderate lecta et ideo perperam interpretata, historicos vero abhinc annis quinquaginta vel pluribus sibi invicem quosdam errores quasi religione quadam tradidisse, quippe qui principia a fonte repetenda non curarent. Ut unum exemplum proferatur, qui attenta mente quemdam locum e Livio expromptum [2] (sæpius quidem at perverse usurpatum) perlegit, is non potest quin sentiat hic nos a scriptore latino edoceri quæ pecunia quotannis Carthaginiensibus ex *Emporiis* rediret, in quo gravissimo documento falsi fuerunt vel illustrissimi ex recentioribus historiarum scriptoribus (Movers, Mommsen, etc.), non Emporiis quidem, sed civitati Lepti, seu majori, seu minori, rem referentes.

Qua in operis parte arduum erat ac difficile non scripta quidem veterum excutere, sed, illis deficientibus, quidquam in supplementum arcessere : nobis igitur sæpe necesse fuit uti conjectura; quod sane fatemur periculosum ac lubricum; at saltem conjecturas, quas audemus proponere, probabiles fore speramus, donec aliis factis recentius erutis et in lucem prolatis eædem aut confirmentur aut destruantur.

1. XXXIV, 62. — Cf. infra, p. 151-152.

CAPUT PRIMUM

SYRTICORUM EMPORIORUM ET NOMINA ET SITUS

CAPUT PRIMUM

SYSTICORUM EMPORIORUM ET NOMINA ET SITUS

Antequam ad peculiarem Syrticorum Emporiorum historiam accedamus [1], necesse est quum ea singula enumerare, tum nunc certo, nunc per conjecturam, quibus in locis sita fuerint definire.

A Cercina et Thenis ille nominum index inchoandus, quum portus ultra hunc terminum sitos, septentriones versus, nullo modo inter *Emporia* adscribendos putemus. Dummodo enim attendas in omni regione quam vocabant *Emporia*, teste Livio (XXXIV, 62), unam fuisse civitatem, Leptim; contra autem portus illos, etsi emporia antiquitus dici potuissent, mature civitates Libyphœnicum evasisse, Carthagini consociatas, stipendium quidem pendentes, sed agri sui potentes [2], eo ipso par erit eos omitti inter quæ proprie vereque dicebantur *Emporia*.

Adde Masinissam, secundum inter tertiumque punicum bellum, non sine auctoritate senatus, *Emporia* rapuisse; fossam autem qua, Carthagine jam diruta,

1. Quæ vis subjecta sit vocibus « Emporium, Emporia », et quæ sint horum verborum variæ lectiones, in secundo capite persequemur.

2. Vide, de his civitatibus, cap. III.

consensu Scipionis Æmiliani et regum, Masinissæ filiorum, discretum est regnum Numidarum, in quo profecto *Emporia* inerant, romana provincia quæ tunc ex agro Carthaginiensi constitit, apud Thenas mare Punicum attigisse. Quid inde, nisi ut ultra Thenas minime quærantur *Emporia* [1]?

Jam vero ad Orientem, si Polybii verbis obsequimur [2], non ultra extremum minoris Syrtis finem, id est Sabratam, *Emporia* patebant ; si Livii [3], non ultra Syrtis ejusdem terminos aut saltem non trans Leptim. Diligentius tamen rem inspicienti, apparebit quum Polybium, tum Livium eam tantummodo regionem in mente habuisse quæ, præ ceteris, ob eximiam maritimarum urbium opulentiam, « Emporia » vocabatur, neutro negante trans Sabratam aut Leptim, in majore Syrti, ulla alia emporia fuisse. Sed quum hujus Syrtis portus, quos non sine intermissione tenuerunt (v. cap. XII, p. 163-164) vel consulto neglexerunt Pœni (v. cap. VII), jam bellorum punicorum tempore nullius momenti essent, proprium nomen « Emporia » in illum alterum occidentalem sinum, ubi Carthago omnes commeatus Africæ interioris ex instituto quodam contraxerat, quasi

1. Excepta Neapoli (Nebel), de qua vide infra cap. V et VIII, necnon et appendicem A, n° 9.

2. Μασσανάσσης, θεωρῶν τὸ πλῆθος τῶν πόλεων τῶν περὶ τὴν μικρὰν Σύρτιν ἐκτισμένων καὶ τὸ κάλλος τῆς χώρας, ἣν καλοῦσιν Ἐμπόρια... (XXXII, 2).

.....Διὰ τὸ μὴ βούλεσθαι γινώσκειν αὐτοὺς..... μήτε τοὺς κατὰ τὴν Βυσσάτιν, μήτε τοὺς κατὰ τὴν μικρὰν Σύρτιν τόπους, ἃ δὴ καλοῦσιν Ἐμπορεῖα (III, 23).— De hac lectione Ἐμπορεῖα, v. cap. II ;— Ostendemus infra (cap. X) minorem Syrtim, Polybii sensu, Sabratam contigisse.

3. « Emporia vocant eam regionem. Ora est minoris Syrtis et agri uberis. Una civitas ejus Leptis.... » (XXXIV, 62).

inclinaverat et ibi continebatur. Itaque, si materiam omnem complecti volumus, par erit et punicos majoris Syrtis portus in numerum *Emporiorum* adscribere, hortante ceterum Strabone, apud quem « Emporium Carthaginiensium » Charax dicitur [1], nec ideo indicem nostrum nisi apud aras Philænorum, ultimum punicæ ditionis finem [2], absolvere.

Ex omnibus locis quorum mentio erit, nonnulli occurrunt de quibus, quum fontes inferioris ætatis tantum memoraverint (Ptolemæus scilicet, et *Itinerarium Antonini*, et *Tabula Peutingeriana*), ambigitur an sub lege Carthaginiensium indubitate jam exstiterint, id est pro *Emporiis* habendi sint. Quicquid id est, eos non omittendos in hac tabula geographica censuimus, primum quod eversa Carthagine perpaucos in his littoribus quæ reformidaverint Græci et Romani portus conditos fuisse persuasum habemus; adde hoc insuper, situs eorum, datis occasionibus, nonnihil conferre ad definiendos aliorum situs. Litteris quæ *Italicæ* apud nos dicuntur dubia hæc *Emporia* inscribentur.

I. Cercina. — Apud Herodotum (IV, 195) Κύραυνις; in omnibus aliis græcis aut romanis scriptoribus Cercina vel Cercinna. Duarum insularum quæ nunc vocantur Kerkenah major ea est, proprio nomine Ramla nuncupata. Lacum marinum, in occiduo littore, ab alto sejungit vetus agger semirutus (Guérin, I, 172), quod quidem opus, modo lacus ille non alius sit ac λίμνη He-

1. Τόπος, Χάραξ καλούμενος, ᾧ ἐμπορίῳ ἐχρῶντο Καρχηδόνιοι (XVII, iii, 20).
2. Polyb., III, 39; X, 40.

rodoti, phœniceum aut punicum habendum est. Plures Cercinæ portus erant (Diod., V, 12), quorum unus fortasse ad Orientem indagandus; præcipuus autem, eodem nomine quo insula Cercina vocatus, situs erat, ut videtur, ubi nunc Bordj-el-Mersa (Guérin, I, 171; cf. Maltzan, II, 389 : vide inprimis Stadiasmum, § 112). « Cercina cum urbe ejusdem nominis libera » a Plinio memoratur (V, 7). Augusto regnante, pecuniam Cercina feriebat (v. Spruner-Menke, *Atlas antiquus*, 1865, Vorbemerkungen, p. 17, contra ac sentit L. Müllerus, II, 35). Tres nummi, quorum unus Hadrumeti, duo Achollæ, Augusti temporibus signati, Cercinæ insuper formam referunt (L. Müller, II, 60-61). Ponte, cujus pilæ supersunt (Guérin, I, 171-172; Maltzan, II, 388), Cerciniti Cercina jungebatur.

II. Cercinitis. — Jam apud Scylacem reperitur. Insularum Kerkenah minori, Gherba dictæ, respondet.

III. Thenæ. — Strabo (XVII, iii, 12) Θένα; *id.* (XVII, iii, 16) Θαίνα; Agathemerus, § 21 : Θένη; Ptolemæus Wilberg, I, xv; IV, iii, p. 262) : Θέαιναι, var. Θαιναί; Stadiasmus, § 112 : Θίθνη. — Apud latinos scriptores, Thenæ [1]. — Thabena legitur in Hirtio, de B. Afric. 77. — TAINaT in nummis (L. Müller, II, 40-42; Supplément, 40-41). De Phœnicea nominis hujus origine vide dissimiles interpretationes apud Moversium, II, 495, et L. Müllerum, II, 41. — Secundo A. C. sæculo jam floruisse Thenas documento est Ptolemæi locus supra laudatus (I, xv). Nunc exstant vestigia apud Henchir Tina, LIV stadiis ab urbe Sfak's distantia (Shaw, Tissot, Guérin).

1. In Plinianis codicibus legitur : Thencoaves, Thena aves, Thene aves, Thenaves (Sillig). Quid in voce *aves* lateat nos fugit.

IV. Macomades Minores. — Plinius (V, 3) : Macomades. — Ptolemæus, Wilb., IV, iii, p. 262 : Μακομάδα (Μακόδαμα vulgo) ; *Itinerarium Antonini*, p. 48 : Macomadibus; p. 59 : Macomadibus municipium ; *Tabula Peutingeriana :* Macomades minores [1]. Et a Phœnicibus conditum et Emporium fuisse nomen ipsum declarat. Nunc, apud Oungha (Tissot, Guérin).

V. Cellæ Picentinæ. — *Itiner. Anton.* : Cellis Picentinis (p. 50), Cellas vicus (p. 59). Quo nomine horrea frumentaria significari videntur (Barth, p. 251 ; cf. *Tabulam Peutingerianam*, ad locum *Centum Cellis*, necnon et effigiem (segm. IV), et E. Desjardins, in commentariis, p. 97-98). Si hæc non inconsulta, vocabulis Sabrat, Zuchis, Emporium, *Cellæ* profecto responderent. Cæsareis autem temporibus horrea frumentaria Cellis fuisse si placet, cur non punicis, quum Polybius (I, 82) Emporia minoris Syrtis, ea tempestate, quasi ampla receptacula describat ? — Hodie En-Nadour (Tissot).

VI. Tritonis fluminis ostia. — De quibus vide Scylacem, § 110, et Ptolemæum (Wilberg, IV, iii, p. 263; Nobbe, IV, iii, 11). Ptolemæi quidem numeris ad ostium fluminis Oued-Akarit deducimur, ubi et Barthius non mediocrem locum fuisse censet (p. 252) et gallica tabula (Blondel, Dépôt de la guerre, 1857) rudera notat « Henchir el Mokor » nuncupata. At dubium est Tritoni flumini amnem Oued-Akarit respondere, quippe qui non ad vallem lacus Chott-el-Djerid pertineat, sed potius e colli-

1. In Plinianis codicibus (lib. V, cap. iv, sect. 3, Sillig) misere corruptum hoc nomen reperies. In hoc loco, et in aliis quæ sequentur, pravas tot lectiones referre omittemus, quotiescumque meras librariorum mendas esse planum erit.

bus ad septentrionem lacus assurgentibus oriatur. Libentius suspicamur amnem nunc vocatum Terf-el-Ma et Tritonem flumen congruere. Vide locum proxime laudatum, scilicet Neapolin.

VII. Neapolis. — Hunc locum refert Stadiasmus, centum stadiis a Tacape distantem (§ 107); quos numeros male, credimus, C. Müllerus emendavit, quum fere CX stadiis a Tacape, ad ostium fluminis Terf-el-Ma, occurrant « urbis romanæ ruinæ », ut gallicæ tabulæ (Blondel, Dépôt de la guerre, 1857) verbis ipsis utamur. Has ruinas, non ignobiles, binis collibus impositas, flumine Terf-el-Ma interjecto, vidit et descripsit Guérin (I, 186-187). Nempe vetus Emporium, si quid valent et nomen, et bifariam urbs divisa, et portus in ostio, ceterum Tacapensi portu melior (Guérin, *ibid.*). Cf. quæ supra, de « Tritonis fluminis ostiis », conjecimus.

VIII. Tacape. — Memoratur duntaxat in monumentis Cæsarei ævi nominatim Tacape (v. Plinium, V, 4, Tacape; XVI, 27, Tacapensis ager; XVIII, 22, civitas Tacape; *Tabulam Peutingerianam*, Tacape col.; *Itinerarium*, Wess., p. 59 : Tacapas colonia; et demum Ptolemæum, Nobbe, IV, III, 11; Wilberg, IV, III, p. 263, Τακάπη; Κάπη vulgo). Attamen jam Pœnorum tempore hunc locum celebratum fuisse testantur et phœniceum nomen (Movers, II, 493-494; Shaw, I, 253) et nonnulla Phœnicei operis rudera quæ peregrinatores non latuerunt (Maltzan, II, 411) et inscriptio phœnicea quam ibi S. Grenville Temple eruit (*Excursions*, etc., t. II) et Polybii vox quædam a Plinio tradita (de hoc vide infra cap. X). In Stadiasmo « ἀπὸ Βακάτης » legitur (§ 107). Si placet tum in hunc locum « ἀπὸ Τακάπης » subjicere, tum Stadiasmi fontes a Timos-

thene, scilicet a regno Ptolemæi Philadelphi repetere [1], certius adhuc constabit punicum Emporium fuisse Tacapen. Ceterum vix dubium est quin cum urbe Tacape congruat illud « παμμέγεθες ἐμπόριον » quod in intimo minoris Syrtis recessu, omisso nomine, Strabo designat. Infra autem videbis (v. Appendicem A.) quibus de causis illam urbem Ἔπιχος, de qua Scylax audiit in Meninge, unam atque eamdem esse ac nostram Tacapen credamus. At nihil in hac re pro certo habendum est. Sex viæ, ne plures dicamus, in medium oppidum Tacapen vergebant (*Tab. Peuting.*, *Itinerarium*). Nummus nullus.

IX. Thiges [2]. — *Tabula Peutingeriana :* Thiges; Plinius, V, 4 : « Oppidum liberum Tigense » (Plin. codd. : Sigense). Ad oram Tritonidis lacus (Chott-el-Djérid), in loco nunc Taguious, Kriz alias vocato, Thiges exstabat (Tissot, *Des Routes romaines du sud de la Byzacène*, 1857, *Revue africaine,* 1re année, p. 189; de Tritonide lacu, p. 37); Guérin, I, 252).

X. Tisurus. — *Tabula Peutingeriana :* Thusuros; Ptolemæus (Nobbe, IV, III, 38 ; Wilberg, IV, III, p. 270) : Τὶσουρος. — Hodie Tôzer (Tissot, *ibid.*)

XI. Aggar Selnepte. — Sic in *Tabula Peutinge-*

1. V. d'Avezac, *Grands et petits géographes*, p. 146 et sqq.
2. Persuasum habemus, auctore Tissot (v. opera supra laudata), eum fuisse quondam lacum « Chott-el-Djérid » qui navigia pateretur, ideoque portus, id est Emporia maritima, fuisse urbes antiquas littoribus ejus appositas. Scilicet punicis tantum temporibus, longe antequam romanæ ditionis hæc regio facta fuisset, res ita se habuisse contendimus ; sexcentos enim post annos, Orosii ætate, jam exsiccata erat Tritonis palus : « Lacum Salinarum » scribit Orosius (I, 2, ap. Riese, p. 67).

riana : at vere legendum : *Aggarsel nepte*. — Hodie Nefta (v. Tissot, *Des routes romaines du sud de la Byzacène,* et præsertim *Notice sur le Chott-el-Djérid*, *Bulletin de la Soc. de Géogr. de Paris*, 1879).

XII. *Fulgurita*. — *Itinerarium* : Agma sive Fulgurita villa ; *Tabula Peutingeriana* : Fulgurita. — Hodie Zerat.

XIII. Hedaphtha. — Stadiasmus : Κιδιφθά; Ptolemæus (Nobbe, IV, iii, 12 ; Wilberg, IV, iii, p. 263) : Ἡδάφθα πόλις κατὰ τὸ πέρας. Variæ lectiones : Ἠδάφθα, Ἡδάφνα, ἡ Δάφθα. Numeris quibus hunc locum Ptolemæus descripsit manifestam mendam inesse si concedas, ac pro μ̄ ϛ′ (40° 10′) legere λ̄θ̄ ϛ′ (39° 10′) velis, prorsus de situ Ptolemæus et Stadiasmus consentient. Quem inter Zerat et promontorium Terf-el-Djorf, circa « Henchir-el-Gourin » aut « Henchir Roumia » futuri viatores inquirant. Phœnicea nominis facies.

XIV. Templum Veneris. — *Tabula Peutingeriana*. — Ad promontorium Terf-el-Djorf (Barth, p. 259).

XV et XVI. Gerra, Meninx. — Nullius quidem oppidi in insula Βραχείων, id est « Brevium », apud Scylacem (§ 110) mentio incidit ; plurium vero apud Strabonem (XVII, iii, 17), quorum unum eodem nomine quo insula Meninx vocatur. A Plinio (V, 7) duo referuntur, Meninx et Troar (var. : Troiar, Thorar, Thoar) ; a Ptolemæo [1] duo, Meninx et Gerra ; *Tabula* au-

1. Nobbe, IV, iii, 45 ; Wilberg, IV, iii, p. 272.

Λωτοφαγῖτις νῆσος ἐν ᾗ πόλεις αἵδε (δύω vulgo).
Γέῤῥα πόλις (var. Γίῤῥα, Γιρά)
Καὶ Μῆνιγξ πόλις (var. Μῆνιξ, Μήνιξ, Μίνιξ).

tem *Peutingeriana* quatuor, Girba, Tipasa, Haribus. Uchium. Urbes non paucas indicat Stadiasmus, unam vero, cui metropoli titulum imponit, nomine ipso insulæ Meningem nuncupat [1].

Meningem urbem paulo ad orientem vici Bordj-el-Kantara [2], Gerram vero (Girbam melius) apud vicum Bordj-el-Mersa, templo Veneris objectam, re diligenter consulta, ponendas esse æstimamus. Troar vero non longe ab Houmt-es-Souk recte indagabis. Aggere aut ponte, cujus nondum periere vestigia (Barth, p. 263; Guérin, I, 217; Maltzan, III, 136-137) continenti insula religabatur; utrum autem moles illa jam Pœnorum tempore cœperit institui, necne, certo dici non potest, donec res ab integro exploretur. Hanc quidem « Romanum opus » esse Maltzan contendit; ad hoc, Stadiasmi ætate pons nondum videtur exstitisse, quum descriptum in hoc periplo maritimum iter a Meninge ad Cidiphtham per Gichtin, scilicet per freta tendat. Si vero Stadiasmi auctorem fuisse Timosthenem, Ptolemæi Philadelphi æqualem, docto viro d'Avezac assentieris, inde sequetur non punicam, sed romanam hanc molem fuisse.

Meninge antiquitus consedisse Phœnices videntur,

1. Quæ Meninx apud plerosque, Girba apud quosdam insula dicitur *(Itiner. Marit.*, Wess., p. 518; Aurelius Victor, Epit., c. 45). Inclinat animus ut ΓΕΡΡΑ in Ptolemæo pravam lectionem esse pro ΓΕΡΒΑ aut ΓΙΡΒΑ credamus.

2. Huc etenim adducimur, Plinii et Ptolemæi rationibus conjunctis. Assentiunt Guérin et Maltzan. Ceterum hic Meninge et Haribus eumdem locum significari existimat, dum opinione nostra in vicem Meningis, litteris depravatis, *Tabula Peutingeriana* Uchium exhibet. Sententiam vero Barthii, qui tum Meningi vicum Houmt-es-Souk, tam Gerræ vicum Bordj-el-Kantara respondere contendit, respuunt veterum testimonia, nec fulciunt, vel minime, recentiorum investigationes.

ubi se dederunt capturæ purpurarum, in illo littore frequentium (Plin., IX, 60). Græcos eodem non semel appulisse, ut traditur de Ulysse, credere est, freta autem ad meridiem sita quinto A. C. sæculo nondum explorasse (Herod., IV, 177). Scylacis ætate, jam profecto in Carthaginiensium potestatem cesserat insula, qui eam quasi receptaculum advectis ab oriente mercibus fecerant (v. Appendicem A, de Scylace).

XVII. Gichthis. — Nulla quidem de hoc loco testimonia, nisi serioris ætatis, adsunt (Ptolemæus, Nobbe, IV, iii, 11; Wilb., IV, iii, p. 263 : Γιθίς; var. Γιχθίς, Σιχθίς, Gycthis; *Itinerar. Anton.*, Wess., p. 60 : Gitti municipium ; *Itiner. Maritim.*, id., p. 518 : Gitti de Tripoli; *Tabula Peutingeriana :* Gigti). At semitica nominis facies; præterea, quum satis verisimile sit et Stadiasmum secundo A. C. sæculo scriptum fuisse, et Gichthin in versibus 104 et 105 Stadiasmi legendum esse, ex his efficitur Gichthin jam punicis temporibus exstitisse et floruisse. Priscæ urbis rudera in jugis Bou-Ghrara vocatis jacentia inviserunt Guérin (I, 225-229), Féraud (*Revue africaine,* n°s 119-120), Maltzan (III, 126). Gichthin eam urbem esse, Meningi proximam, « cum bono portu et aqua », cujus nomen in Stadiasmo desideratur, cum jam post C. Müllerum conjecerimus, cur non ad ostium fluminis Oued-Morra, xvi stadiis ab ipsius oppidi ruinis distans, et hunc « portum » et hanc « aquam » quæramus?

XVIII. Zita. — *Tabula Peutingeriana :* Ziza municipium. — *Itiner Anton.,* p. 60 : Ponte Zita Municipium. Hodie « Henchir Medinet-Zian » (Guérin, Tissot, Maltzan). Conditum a Phœnicibus oppidum, quantum no-

minis et ruinarum adspectu decernere licet (Barth, 266-267; Maltzan, III, 168). Locum Ζεῖθα ἄκρα Ptolemæus memorat (Nobbe, IV, III, 12; Wilb., IV, III, 263). Cujus e numeris qui ad longitudinem pertinent unum si gradum demes, scilicet λη̅ γο', 39° 40', pro μ̅ γο', 40° 40' leges, promontorio hodie Ras Chemmakh vocato Ptolemæi Ζεῖθα ἄκρα respondere fateberis, atque ab urbe Zita nomen accepisse. Hunc locum *Zitha* (ThThE) plures nummi sub Augusto signati referunt (v. L. Müller., *Numism.*, II, 20-22).

XIX. Gergis. — Stadiasmus : Γέργις; Procopius, *De Ædific.*, VI, 4 : Γίργις. — Nunc Zerzis (Barth, Guérin). Huic urbi nummum, sub Augusto signatum caraboque insignitum, « quo typo res navalis et proprie portus indicatur, » vindicat L. Müllerus (*Numismatique*, II, 35-36, et *Supplément,* 38); Cercinæ contra Spruner-Menke, ut supra ad verbum *Cercina* videre est. Jam inde antiquitus a Chananæis fundatum Gergin ducit Moversius (II, 493). Zitæ, non ultra L stadia distanti, portum præbuisse Gergin arbitramur.

XX. *Villa Magna.* — *Itinerar. Antonini,* p. 60 : Villa magna, villa privata. — In australi tractu marini lacus quem vocant Bahirt-el-Biben, ad « Henchir Medina », si bene Maltzan (III, 167). Ex numeris *Itinerarii* melius ad « Henchir Bou-Gournin ».

XXI. Præsidium. — *Tabula Peutingeriana :* Presidio. — Nunc Bordj-el-Bibân, secundum Barthii rationes (p. 272).

XXII, XXIII, XXIV. — ZUCHIS, ZEUCHARIS, TARICHIÆ. — Zuchin Strabonis et Ptolemæi, Zeucharin Stadiasmi, Tarichias Scylacis unum et eumdem locum esse Barthius et C. Müllerus opinantur.

Quum tamen Zuchin mediterraneis locis inserat Ptolemæus [1], nec utique ad mare situm fuisse Strabo (XVII, III, 18) profiteatur, in intimo lacu, seu ad « Henchir Medina » seu ad « Henchir Bou-Gournin » hanc urbem fuisse conjicimus.

Zeucharin vero (Stadiasmus, § 101, 102) non ad Bordj-el-Bibân, sed ad ruinas « Dakhla » nominatas, in extremo lacu versus orientem, ponere æquum erit, si numerus Stadiasmi, DC stadia a Sabrata, vere observemus.

Tarichias autem Scylacis nihil vetat quominus ad « Bordj-el-Bibân », ubi *Præsidium* Tabulæ, qua lacus in mare exibat, sitas fuisse concedamus, ideoque Zuchi exterum portum præbuisse.

Nos quidem non fugit, Zuchin et Tarichias dissidere ponentes, hinc Zuchi officinas fuisse pisces condientium et purpuras tingentium, auctore Strabone; illinc autem *Tarichiis* salsamenta significari, et semirutas tinctorum officinas in vico Bordj-el-Bibân a Barthio repertas esse. At quantumvis ista concinant, non adeo valent ut Tarichiæ, urbs maritima apud Scylacem, et Zuchis, Mediterraneum oppidum, si Ptolemæo fides est, juxta confundantur. Artes quas diximus et in omnibus locis stagno circumjacentibus tractatas fuisse credere est, nec portui defuisse quæ in oppido ipso flo-

1. Nobbe, IV, III, 41; Wilb., IV, III, p. 270 : Χουζίς. Cf. Stephanum Byzantinum : Ξούχης, πόλις Λιβύης. Ἀρτεμίδωρος ἐν ἐπιτομῇ τῶν ἕνδεκα. Τὸ ἐθνικὸν Ξουχίτης (p. 320).

rebant. Alioquin fieri potest Strabonem, quæ maritimi suburbii erant, ad urbem transtulisse.

Ad summam, nunc horrentem solitudinibus lacum « Bahirt-el-Biben » pluribus oppidis quondam florentem, Villa Magna (El Medina? Bou-Gournin?), Zuchi (El Medina? Bou-Gournin?), Zeuchari (Dakhla); Tarichiis seu Præsidio (Bordj-el-Bibân), videre nobis videmur. Qua sola ratione testimonia veterum possumus et singula observare, et inter se conciliare. Quibus contra tum Barthius, qui hunc tractum in priori itinere (*Wanderungen*) cursim exploravit, tum C. Müllerus miram vim efferunt, dum ad unum eumdemque locum et Zeucharin et Zuchin et Tarichias reducere aggrediuntur.

Utcumque erit, magnum Emporium fuisse Zuchin haud dubium est, quum ipso ejus nomine emporium (Souk) in semiticis omnibus linguis appellari soleat.

XXV. Pisindon portus. — *Itiner. Anton.*, p. 61 : Fisida vicus; *Tabula Peutingeriana* : Pisida municipio. In Ptolemæo Πισίνδα inter urbes mediterraneas (Nobbe, IV, iii, 41; Wilb., IV, iii, p. 271, var. : Πίσινδα), Πισινδῶν λιμήν inter loca maritima (Nobbe, IV, iii, 12; Wilb., IV, iii, p. 263; var : Πισίνδων λιμήν, Πισιδών λιμήν) legitur; Ptolemæi vero tabulæ, de situ Pisindon portus, manifestus error inest; si autem pro μᾱ δ′, 41° 15', legere μ̄ δ′, 40° 15', velis, plane congruent Ptolemæi et itinerariorum numeri.

His quidem numeris, id est ccccl stadiis ad occasum Sabratæ, in sinum Mahabes vehimur, prope ostium fluminis Oued-Zeg-Zaou, ad illum egregium portum cui Bou-Scala nomen est, de quo multa habet Maltzan (III, 176).

Quum bis in Ptolemæo nomen illud memoretur (Pi-

sindon portus, — Pisinda), unum fuisse locum non credimus, at Mediterraneæ urbis Pisindæ navale fuisse Pisindon portum [1]. Sed nec facile dicemus ubi quærenda Pisinda, nec statuemus utrum Pisinda an Pisindon portus « mansio » fuerit. Utique punicum Emporium ibi fuisse apparet, ex ipsa Pisindæ et Pisindon portus convenientia.

XXVI. *Cypsaria Taberna.* — Si Barthium sequimur, hanc *Tabulæ Peutingerianæ* stationem ponemus ad ruinas El-Minah, in intimo Mahabes sinu (cf. Mouchez, n° 3604, Marabout Sidi-Saïd).

XXVII. Locri. — Stadiasmus : Λοκροί. Hodie vocatur Zoara, ad ostium fluminis Ouadi-Beïda.

XXVIII. Sabrata. — Stadiasmus, § 99 et 100 : Σαϐράθα. Procopius : Σαϐαραθὰ. Ptolemæus inter maritimas urbes Σάϐαθρα (Nobbe, IV, III, 12 ; Wilb. IV, III, p. 263 ; var. : Σαϐάθρα, Σαϐάτρα) inter mediterranea loca Σαϐράτα (Nobbe, IV, III, 41 ; Wilb., IV, III, p. 271 ; var. : Σαϐρατά) adscribit. — Scylax, Strabo (XVII, III, 18), Stephanus Byzantinus [2] : Ἀϐρότονον. — Plinius (V, IV, sect. 4) : Abrotonum. Sabratam aut Sabratham exhibent ceteri latini auctores, tum Plinius in alio loco (V, IV, sect. 3, var. : Sabatra), tum Silius Italicus (III, 256), *Tabula Peutingeriana, Itinerar. Antonini* (p. 61, Sabrata colonia),

1. Fatendum tamen immodico inter se intervallo hæc loca distare, in hoc si Ptolemæum sequamur, quem tum periplorum tum itinerariorum rationes accommodare sæpius piguerit.

2. Ἀϐρότονον. Λύκος ὁ Ῥηγῖνος χωρίον οἴεται εἶναι..... Πόλις Λιϐυφοινίκων. Καλεῖται δὲ καὶ Νεάπολις, ὡς Ἔφωρος (p. 8).

Solinus (c. 30), Ravennas anonymus (III, 5 ; V, 5, ed. Pinder et Parthey), etc. Nummis inscribitur Sabraton, ut vult Moversius (II, 491), — Sabroton aut Sabrat, ut C. Müllerus, I, 86, — Sabrathât, ut Judas (*Étude démonstrative de la langue phénicienne,* p. 144) et Maltzan (III, 372), — Sabrat, ut L. Müllerus (*Numism.*, II, 29-35).

Adhuc supersunt ampla hujus veteris Tyriæ coloniæ vestigia, sub illo vico quem vocant « Taraboules el Kdim », id est *Vetus Tripolis*, ad ostium fluminis Oued-el-Ethel, in loco quem Barthius K'as'r Allaka (p. 279), Maltzan Soâgha (III, 371), alii Sabrat (C. Müller, I, 464), aut potius Sabra, ut apud Arabicos scriptores legitur, nuncupant. Has ruinas, non procul a Zouagha-ech-Cherkia sitas, inviserunt et descripserunt Barthius et Maltzan.

Semitica nominis origo. Quum illud Moversius et L. Müllerus idem valere ac « forum frumentarium » contendant, *Emporium* κατ' ἐξοχήν, ut græce loquamur, Sabrata referebat. Jam inde a punicis temporibus via publica Carthagini, per Tacapen et Thenas, Sabrata jungebatur (v. cap. x, p. 102-103).

XXIX. Bilan. — Urbem Bilan (BILN) vocatam ex nummis memorat L. Müllerus (*Numism.*, II, 23-26). Legitur enim in tribus nummis sub Augusto signatis : « Oea, Macaroea, Bilan » ; in duobus aliis, temporis ejusdem : « Macaroea, Bilan.» Idem est locus, secundum L. Müllerum, qui in *Itinerario* « *Vax* Villa *Repentina* » vocatur. Præterea Vax Villæ Repentinæ, nostra sententia, congruit ille locus quem, omisso nomine, sed non omissa testante dignitatem effigie, inter Sabratam et Oeam in *Tabula Peutingeriana* videre est. Hujus antiquæ

urbis esse suspicamur quas Barthius vidit ruinas, tribus horis ad orientem Sabratæ sitas, quibusque in mediis quasi vestigia amphitheatri prospexit (p. 279-280). — Ad collem *Sidi Blal* (v. Mouchez, n° 3604), ubi Mouchez « tumulum insignem » notat, qui ceterum Barthii narrationi omni ex parte respondet, quærendam urbem Bilan existimamus.

XXX, XXXI. Oea, Macaroea. — Pomponius Mela, I, 7 : Oza oppidum ; Plinius, V, 4 : Civitas Oeensis (Var : Ocensis, Oensis, Occensis, etc...) ; Tacit., *Histor.*, IV, 50 : Oeensium discordias..... ; populus Oeensis ; *Itiner. Anton.*, p. 62 : Oeea colonia ; Silius Italicus, III, 257 : Oea ; *Tabula Peutingeriana :* Osa colonia ; Ptolemæus (Nobbe, IV, iii, 12 ; Wilb., IV, iii, p. 263) : Ἑώα, var : Ἑῶα, Ἐῶα, Οἰέα, Οἴα. — Solinus, 30 : Oeea ; Amm. Marcell., XXVIII, 6 : Agro Oeensi ; Ravennas anonym., V, 5 : Oxea.

Stadiasmus (§ 98, 99) : Μακαραία.

Solent Oeam et Macaroeam confundere. At quinque nummis, quorum tres sub Augusto signati sunt, inscribitur : OIAT, MAQR, BILN, Oea, Macaroea, Bilan, unde patet inter Oeam et Macaroeam haud dubium fuisse discrimen. Hanc igitur, Mannertum secuti, satis longe ab oppido Oea ponemus? At, si hoc placet, non videmus qui Stadiasmus, in hoc littore tam luculentus, de Oea siluerit. Credemusne Oeam, Libycum nomen (Movers., II, 490), Barbarum oppidum fuisse, Macar-Oeam vero phœniceam coloniam, propter mare, Oeæ portum præbentem? Nodum nec Barthius nec Maltzan, quanquam hic uberior (III, 191, et sqq.), expediunt.

Veterum testimonia recolenti veniet in mentem perantiquas et diuturnas inter Oeam et Leptin, forsan etiam

inter Oeam et Sabratam, fuisse simultates, quasi urbes illæ contenderint de principatu littoris quod duas Syrtes interjacet, aut potius quasi ambigerent cujus esset, exclusis ceteris, commeatus Libyæ interioris in suum emporium contrahere (v. cap. vi). Unde intelligi potest quas partes, ut ita dicamus, inter Sabratam et Leptin Oca tenuerit.

XXXII. *Turris ad Algam.* — *Tabula Peutingeriana ;* ad promontorium Ras Tadjoura.

XXXIII. — *Megradi Villa Aniciorum.* — *Itiner. Anton.,* p. 62-63. Var : Megdil Villa Anitiorum. — Ad occasum fluminis Ouadi er Remel, non procul ab illa » aquatione » quæ tabulis inscribitur (Mouchez, 3604).

XXXIV. Getullu. — *Tabula Peutingeriana.* — Ad ipsum fluminis Ouadi er Remel ostium.

XXXV. *Cercar.* — *Id.* — Paulo post flumen Ouadi Msid, orientem versus. Est ut Cercar idem sit atque ille exiguus portus « antiqui *Cothonis* speciem referens » quem vidisse Smythium « in propinquo fluminis Ouadi Msid » prodit Beechey (p. 44).

XXXVI. Megerthis. — Stadiasmus, § 97, 98. — Ad orientem promontorii Ras Sciarra, ad ostium, ut videtur, humilis fluminis (Mouchez, 3604).

XXXVII. Amaroea. — Stadiasmus, § 96, 97. — Ad promontorium Ras-el-Hamrah.

XXXVIII. Gaphara. — Scylax : Γράφαρα. — Ptole-

mæus (Nobbe, IV, III, 12; Wilberg, IV, III, p. 263) : Γαράφα λιμήν; Var. : Γάραφα, Γαφαρά, Γαράφας, Γαφράφα, Γάφαρα; — Stadiasmus, § 95, 96 : Τὰ Ἄφορα; Plinius, V, 4 : Taphra (Var. : Trafra, Tafra, Thafra, Tephra). — Locus nunc Mersa Beltan dictus, ad ostium fluminis Ouadi bou-Fâres, prope promontorium Ras Esfarra, parvæ insulæ adversus; in illo tractu « vestigia exigui portus » Barthius notavit (p. 303). Credimus equidem hinc Gapharam pro portu fuisse urbi Subututtu, necnon Quintilianæ (*Tab. Peuting.*) olim nuncupatæ, illinc ad hanc urbem mediterraneam pertinere phœnicea rudera a Barthio investigata ad dextrum latus fluminis bou-Fâres (p. 303).

Apud Scylacem (v. nostrum caput v et appendicem A, n° 3) audimus Gaphara agrum Carthaginiensium (χώραν) et Leptitanorum dirimi.

Verum loci nomen non Γράφαρα, ut in Scylace legitur, sed potius Γαφάρα, videtur fuisse. Quod quidem in nomine Djefara (recte *Guefara*, aut *Gafara* apud Barbaros orientales enuntiando) nunc etiam servatur. Acutum vero accentum secundæ syllabæ, non primæ imponendum credimus; prima enim syllaba jam apud Stadiasmum (τὰ Ἄφορα) et apud Plinium (Taphra) periit, et in hodiernis nominibus (bou-Fâres, Esfarrah) desideratur.

XXXIX. Hermœum. — Stadiasmus, § 93, 94, 95 : Ἑρμαῖον.. — Huc appellebant naves, quum jam portum Leptis majoris subire non possent. Nunc etiam tutam ibi stationem reperias (Barth, p. 305). Locus ab aliis Mersa Ligata (C. Müller, *Atlas,* pl. XXI), ab aliis vero Komz seu Omz [1] vocatur (Mouchez, *Rapport à l'Acadé-*

1. Pagi potius quam loci nomen esse Homs seu Koms videtur.

mie des sciences, 1877; cf. ejusdem tabulam) et denuo commerciis floret.

XL. Leptis Major. — Sallustius, c. 77 : ex oppido Lepti;..... Leptitani.....; c. 78 : id oppidum;..... ejus *civitatis*.....; Titus Livius, XXXIV, 62 : *Civitas*..... Leptis; Ammianus Marcellinus, XXVIII, 6 : Leptis; Pomponius Mela, I, 7 : Neapolis; Plinius (V, 4) : « Oppida *Neapolis*, Taphra, Abrotonum, *Leptis altera* quæ cognominatur Magna..... » Is nempe in excerpendo dormitavit, qui bis eumdem locum vario sub nomine memoret. Scylax : Νέα πόλις; Strabo (XVII, iii, 18) : Νεάπολις, ἣν καὶ Λέπτιν καλοῦσιν; Ptolemæus (Nobbe, IV, iii, 13; Wilb., IV, iii, p. 263) : Νεάπολις ἡ καὶ Λέπτις μεγάλη. Stadiasmus (§ 93), postquam situm urbis, omisso nomine, descripsit, hoc subjicit : Αὕτη καλεῖται Λέπτις. — Procopius, *De Ædif.*, VI, 4 :Λεπτιμάγνα. Cf. *De Bello Vandal.*, II, 21.

In nummis (quorum tria et triginta novimus, v. L. Müllerum, t. II, et *Supplém.*) LBKI aut LPKI Leptis inscribitur. Horum in uno Metropolis nomen, ut videtur, sibi sumit, cui titulo sæpe laudata Livii verba (XXXIV, 62), quæso, conferas ; « Una civitas ejus (regionis) Leptis..... »

Primum locum in ora quæ duas Syrtes interjacet, dum Carthago floreret, Leptim obtinuisse haud dubium est [1].

Libycum, si Moversio fides est, nominis etymon. Urbs a Sidoniis (Sall., *Jug.*, 78), scilicet non post MCC annos A. C. condita, postea Tyrios colonos excepit (Plin., V, 17). Neapolis ei nomen inditum, non quod denuo instau-

1. Primo P. C. sæculo Leptis in locum successisse Oea videtur : « *Civitas* Oeensis..... *oppida* Neapolis...., Leptis altera..... » (Plinius). Eo minus admiremur bellum inter eas exortum fuisse, de quo vide Tacitum (*Hist.*, IV, 50) et Plinium (V, 5).

rata fuerit, sed postquam nova regio extra pristinum oppidum ædificata fuerit, quam sæpius advenæ, amplitudine præcellentem, pro urbe universa habere assueverint.

Barthius (p. 306-315) Leptis Majoris ruinas invisit et diligenter descripsit, non quidem ad vicum Lebda jacentes, ut vulgo dicitur, sed a promontorio Ligata versus orientem ad xxv stadia distantes, ab utroque modici fluminis latere (v. Mouchez, 3604). Alio in loco dicemus quid Barthius, ex situ et habitu harum ruinarum, sagaciter collegerit.

XLI. Cinyps. — Herodotus (IV, 175, 198; V, 42) : Κῖνυψ (gén. Κίνυπος); Scylax : Κίνυψ (gén. Κίνυφος); Ptolemæus (Nobbe, IV, iii, 13; Wilb., IV, iii, p. 263) : Κινύφου ποταμοῦ ἐκβολαί (var. : Κίνυφος, Κίνυφου). Plin., V, 4 : « Cinyps fluvius ac regio... » — Inter omnes peregrinatores, scilicet Della Cella (p. 51-53 gallicæ translationis), Beechey (p. 62), Barthium (p. 317) constat fluvio Cinyphi, cujus tanta apud veteres auctores nobilitas, congruere flumen « Ouadi el Ka'an », ad xc stadia a Lepti distans. Quo in loco Dores e Sparta et There advecti coloniam condiderant, anno 520 A. C., unde primo quoque tempore (ann. 517) ejecti fuerunt a Macis et Carthaginiensibus (Herod., V, 42). Urbem desertam, duobus elapsis seculis, adhuc videre erat (Scylax), et nunc supersunt, a dextro fluminis latere (Barth, 318), ingentia phœnicei cujusdam operis rudera.

XLII. Barathia seu Barathra. — In Ptolemæo, post Cinyphis ostia, sequitur locus Βαραθία vocatus (Nobbe, IV, iii, 13; Wilb., IV, iii, p. 263). In Strabone autem (XVII, iii, 18) post Leptim hæc leguntur : ἑξῆς δ' ἐστὶ ποτα-

μὸς (Κίνυψ) · καὶ μετὰ ταῦτα διατείχισμά τι ὃ ἐποίησαν Καρχηδόνιοι, γεφυροῦντες βάραθρά τινα εἰς τὴν χώραν ἀνέχοντα..... C. Müllerus (p. 461) suspicatur in Ptolemæo Βάραθρα pro Βαραθία legendum esse, nec ab isto differre locum a Strabone memoratum. Si res ita se habet, quum a Cinyphe ex Ptolemæi rationibus satis longe Barathra distet, non est ut ad grandes Cinyphis ruinas supra memoratas ingens illa moles quam notavit Strabo referri possit. Ultra Cinyphem igitur Barathra ponemus, seu in loco Mersa Izliten, LXV stadiis distanti, seu in illa littoris parte, CXXX stadiis remota, ubi « fossam insignem » tabulæ recentiores indicant (Mouchez).

XLIII. CISTERNÆ. — Ptolemæus (Nobbe, IV, III, 13; Wilb., IV, III, p. 263): Κιστέρναι; var.: Κινστέρναι, Κινστέρνα, etc. Hunc Ptolemæi locum misere corruptum ac turbatum fuisse credimus, Wilbergo et C. Müllero (I, 460-461) auctoribus, talique ratione restituendum :

Βάραθρα	42° 40'	31° 30'
Τρίκερων ἄκρον	42° 55'	31° 20'
Κιστέρναι	43° 15'	31°

Intra majorem Syrtim igitur quærendas esse Cisternas constat. Utrum vero stationi « ad Cisternas » quæ *Tabulæ Peutingerianæ* inscribitur illæ Ptolemæi Cisternæ respondeant, necne, asseverare non ausimus. Nec magis apparet quo loco ponendus sit ille locus. Hoc tantum videmus (si vocabulum latinum Cisternas græcum Κίστερναι modo refert) profecto ibi fuisse phœnicea opera.

XLIV. TARICHIÆ, MACOMADA. — Stadiasmus (§ 91, 92) : Ταριχεῖαι; Ptolemæus (Nobbe, IV, III, 14; Wilb., IV,

III, p. 263) : Μακομάδα κώμη; var. : Μακόμαδα, Μακόμακα, Ἀκόμακα, Καλουμάκουμα vulgo. — Phœniceam coloniam *Tarichiæ* declarant; bifariam urbem divisam, scilicet Libyphœnicum, prodit *Macomada*. Uni loco bina nomina congruere, non fidem egressus, C. Müllerus (I, 460) existimat. Ubi autem locus quærendus sit, satis liquet : ultra enim promontorium Mezrata (seu Mzarata), soli obviam incedentibus occurrunt vastæ salinæ, quas arenosa et saxosa, ut ita dicamus, tænia ab alto sejungit ; quæ quidem in tabula marina quam descripsit Mouchez desiderantur, sed in ceteris omnibus comparent (cf. Barthium, p. 324 et 369 ; Beechey, p. 314 et sqq). Omnium consensu, ibi agnosces « salinas immensas quæ cum luna crescunt et decrescunt » in *Tabula Peutingeriana* pictas, lacum marinum (λίμνη) de quo plura Strabo refert (XVII, III, 20), « trecentorum fere stadiorum longitudine, latitudine septuaginta, in sinum effluentem, et insulas quoque quasdam habentem et stationem ante os. » Profecto tæniam ipsam, qua lacus in mare effluebat, et Macomada et Tarichiæ obtinebant. Tum Stadiasmi, tum Ptolemæi si, quantum res sinat, numeros aliquanto inter se dispares conferamus, non longe a colle « Djebel Melfa » nuncupata, meridiem versus, locus reperietur.

XLV. Aspis. — Strabo (XVII, III, 20), Ptolemæus (Nobbe, IV, III, 14 ; Wilb., IV, III, p. 263), Stadiasmus (§ 90, 91) : Ἀσπίς. — Auctore Strabone, « portus omnium qui sint in Syrti optimus » ; hunc locum ponemus ad « Sidi Oulfoula », littus inter et rupes Djerid (v. Mouchez, n° 3602), ad ostium fluminis Ouadi Bei (Stieler, n° 10).

XLVI. Sagamaza. — Ptolemæus (Nobbe, IV, iii, 14; Wilberg, IV, iii, p. 263) : Σακάμαζα κώμη; var. ; Σακαζάμα, Σακκίαζα colonia. — Verisimiliter ad Zerafeh.

XLVII. Dysopos. — Stadiasmus (§ 89, 90) : Δυσωπός. — Ad Mersa Zabak.

XLVIII. Euphrantas Turris. — Strabo (XVII, iii, 20) : ὁ Εὐφράντας πύργος; Ptolemæus (Nobbe, IV, iii, 14; Wilb., IV, iii, p. 263) : Πύργος Εὐφράντα (var. : Εὔφραντα, Πυργισέφραντα). — Stadiasmus, § 88, 89 : Εὐφρανταὶ; — Stephanus Byzantinus : Εὔφραντα, πόλις Λιβυκή (p. 189).

In *Itinerario* (p. 64) reperitur locus, xxxiv millibus ad occasum Iscinæ, cui nomen *Macomades in Syrti*. Stationem item, ad occasum Iscinæ, *Macomadu Selor*. (Macomades Selorum) nuncupatam exhibet *Tabula Peutingeriana*. De eodem loco profecto utrinque agitur; qui quidem, Barthii sententia (p. 375), non alius foret atque Euphrantas Turris. Nobis autem videtur Macomades Libyum seu Libyphœnicum vicum fuisse, Euphrantæ phœniceo oppido adjacentem.

Barthius et C. Müllerus credunt, quod quidem veri similius est, Euphrantam turrem ad Mersa Zafran exstitisse. Hanc arcem fuisse, ad breve tempus, dum pollerent primi Lageæ stirpis reges, ultimum punicæ ditionis finem, infra invenies (Strab., XVII, iii, 20 ; cf. nostrum caput xii, p. 129-130).

XLIX. Charax. — Strabo (XVII, iii, 20) : Χάραξ; Ptolemæus (Nobbe, IV, iii, 14; Wilb., IV, iii, p. 263) : Φάραξα κώμη; Φάραξ vulgo; Stadiasmus, § 87, 88 : Κόραξ.

Iscina mansio in *Itinerario* (p. 65) notatur; in *Tabula Peutingeriana : Scina loc. Judeor. Augti,* Scina locus Ju-

dæorum Augusti; Ἴσκινα in Ptolemæo (Nobbe, IV, III, 14; Wilb., IV, III, p. 271), inter urbes mediterraneas.

Charax cum Iscina a Barthio (p. 368, 374) componitur. Nostra vero sententia, discrimen aliquod inter hæc loca servandum est, quasi Iscina mediterraneum oppidum, Charax maritimum fuerit, sed alterum alteri proximum, commercio usuque perenni adeo conjunctum, ut unum velut emporium ambo effecerint. Phœnicum colonia, portus Iscinæ Charax fuerit. Ad hanc conjecturam accedunt quæ de ruinis hujus tractus narrat Barthius, duas partes pluribus millibus disjunctas secernens (p. 334-335). Quo pacto, insuper, quum singula veterum scriptorum de istis urbibus testimonia facile conciliantur, tum apparet cur separatim Pharacem vicum et Iscinam Ptolemæus memoraverit.

Has urbes adhuc in medio ævo floruisse, uno sub nomine Medinet Sort vel Sirt conglobatas, et præcipuum majoris Syrtis emporium fuisse, ex Arabicis scriptoribus constat. Attendas autem, si El-Bekri fides est, propter mare Sort exstitisse, si Edrisi contra, duobus millibus a littore. Neutrum equidem res fefellit, si hunc Iscinam, illum vero Pharacem in animo habuisse concedas (v. El-Bekri, *Description de l'Afrique septentrionale*, traduit par M. de Slane, Paris, 1859, p. 15-18; cf. Edrisi, I, 274).

Et Characis et Iscinæ ruinæ circa Medinet Soult'an hodie reperiuntur (Barth., p. 334, 364-377).

L. Opiros. — Stadiasmus (§ 86, 87) : Ἔπηρος; Ptolemæus (Nobbe, IV, III, 14; Wilb., IV, III, p. 263) : Οἰσπορὶς κώμη; var. : Ἰσπορίς, Ἰσπωρίς; *Tabula Peutingeriana :* Opiros. — Ad Bou-Saïda, ut videtur.

LI. Hippou-Acra. — Stadiasmus, § 85, 86 : Φιλίππου ἄκρα; Ptolemæus (Nobbe, IV, iii, 14; Wilb., IV, iii, p. 264) : Ἵππου ἄκρα. — Phœniceæ coloniæ nomen indicium est. Promontorio Bergaouad, fluminis Oued-ech-Chegga ostium supereminenti, prorsus conveniunt verba quibus hunc locum Stadiasmus descripsit. Insignia ibi jacent phœnicei operis rudera (v. Barthium, p. 340, et præsertim Beechey, p. 187-191, qui tamen errat, ea Euphrantæ turris fuisse ratus). Videntur et convenire quæ apud Diodorum de sede Lamiæ leguntur (XX, 41). Amplissimam inter Tyrias majoris Syrtis colonias hanc fuisse conjicimus (v. cap. vi).

LII. Aræ Philænorum. — Scylax : Φιλαιοῦ βωμός; Polybius (III, 39; X, 40) : Φιλαίνου βωμοί; — Stadiasmus, § 84, 85 : Φιλαίνων βωμοί; — Strabo (XVII, iii, 20) : Φιλαίνων βωμοί, Φιλαίνου βωμοί; Ptolemæus (Nobbe, IV, iii, 14; Wilb., IV, iii, p. 264) : Φιλαίνου κώμη, ὑφ' ἣν οἱ ὁμώνυμοι βωμοί, etc.; Plinius, V, 4 : Philænorum Aræ; Sallustius, c. 79 : Carthaginienses in eo loco Philænis fratribus Aras consecravere (cf. Valerium Maximum, V, 7; Pomponium Melam, I, 7; Solinum, c. 30); *Tabula Peutingeriana* : Are Phil. — *Itinerarium,* p. 65 : Banadedari *(Bômoi, id est Arc,* ut subtiliter emendavit d'Avezac, p. 104). Hoc loco Syrtis, quæ Carthaginiensium erat, et quæ Cyrenensium, definiebatur (Strab., III, v, 5; cf. Stadiasmum). Ibi erant et aqua, et navium statio (Stadiasm.). Vicum punicæ ditionis fuisse vix dubium est (v. cap. iii).

Quo in loco Philænorum Aræ ponendæ sint non satis constat. Si Ptolemæi numeris utamur, ex quibus ccccl stadiis Hippou-Acra et Philæni vicus dissiderent, ducimur ad collem « Morne Mouktar » vocatam (Mou-

chez). Si vero Stadiasmum sequamur, cccc stadia tantummodo exhibentem, citra consistendum est.

In *Tabula Peutingeriana* ab Iscina ad Aras Philænorum sunt cxl millia passuum; quum autem inter Medinet-Soult'an et collem Mouktar, oram satis accurate legentes, cxxxii millia passuum metiamur, Ptolemæo Tabula videtur assentiri. Paulo discrepant *Itinerarii* rationes (p. 65, cxxix millia pass.).

CAPUT SECUNDUM

SYRTICI MARIS EMPORIA

CAPUT SECUNDUM

SYRTICI MARIS EMPORIA

Maritimam ditionem et colonias quas Tyrii, dum res florerent, scilicet a duodecimo A. C. sæculo usque ad nonum, in interno mari tenuerunt necnon in Oceano, summi historiarum scriptores expresserunt. Quas inter colonias, vel ipsa tantum inspecta tabula eas permagni æstimandas agnosces quæ ad mare Syrticum pertinebant.

Libya enim in interiore, et quasi ejus ad umbilicum, quindecimum borealem gradum postquam ad meridiem pergens transieris, tibi obversabitur immensa regio (Soudan), quæ ferax et culta homines alit innumeros, et eos quidem tum adeo politos ut mercaturæ gaudeant commodis, tum etiam adeo rudes ut immensa ex iis lucra mercantibus redire debeant. Ex omnibus autem maris interni littoribus, huic magnæ regioni proximum quod mare Syrticum alluit ; per mare Syrticum igitur potissimum hanc attingere Tyriis licebat, populorum scilicet opera utentibus qui in deserto vagabantur.

Quapropter a Tyriis jam antiquitus in Syrticis littoribus florentes colonias conditas fuisse constat (Movers, II, 462-492), quarum nonnullæ, sicut Leptis major, civitates conspicuæ in processu evaserunt, pleræque tamen,

quoad Carthago stetit, eæ quæ prius fuerant, scilicet *Emporia*, permanserunt [1].

Emporium quidem proprie vocatur forum quodvis rerum venalium (T. L., XLI, 1). Semibarbaros apud populos, jus quoddam peculiare et præcipuum est emporio frui, cui inhiant diversi vici ejusdem regionis; sic apud Galatas, secundo A. C. seculo, possessione emporii Gordium frui reperimus (T. L., XXXVIII, 18), elapsis autem duobus seculis, Pessinunta (Strab., XII, III, 5).

Translato verbo, emporium appellatur non jam forum ipsum, sed vicus quo forum illud continetur. Nonnunquam mediterraneus, ad quem seu unius gentis seu plurium finitimarum gentium solent convenire populares (sic Gordium et Pessinus, sic Genabum, Strab., IV, II, 3); maritimus autem plerumque locus est, in quem cum mercatoribus externis, mari advectis, congrediuntur ac commeant indigenæ; quales fuere tum Ephesus in Asia (*id.,* XIV, I, 24), tum apud Gallos Burdigala et Corbilon (*id.*, IV, II, 1). Hujusmodi emporium quid vere ac proprie sit optissime declarat Strabo, qui Ligusticos

1. Τὰ Ἐμπόρια, *Emporia,* maritimas urbes minori Syrti tum circumjectas tum finitimas nuncupant Polybius (XXXII, 2) et Livius (XXIX, 25, 33 ; XXXIV, 62).

Τὰ Ἐμπορεῖα de iisdem urbibus apud Polybium (I, 82 ; III, 23) legere est. At pravam esse hanc lectionem optimi judices existimant (Tissot).

Τό Ἐμπόριον in Appiano (VIII, 72, 79) seu de iisdem urbibus seu de una quadam ex iis legitur.

Τῶν..... Ἐμποριῶν (Polyb., I, 82) quidam codices, scilicet Vaticanus ac Florentinus, exhibent. quasi nominativus casus αἱ Ἐμπορίαι fuerit. At quum legendum esse Ἐμπορεῖων aut potius Ἐμπορίων (verbo Ἐμποριῶν falso apice imposito) plerique consentiunt, sequitur hanc formam αἱ Ἐμπορίαι prorsus vanam esse.

Condita a Phocensibus sub montibus Pyrenæis colonia a Livio *Emporiæ* dicitur (XXVIII, 42 ; XXXIV, 8, 9, 3) ; a Polybio Ἐμπορεῖον (III, 39, 76) ; ab Appiano Ἐμπόριον (*de Rebus Hispan.,* 7).

montes postquam descripsit, a Liguribus frequentatos, pastoribus quidem hominibus, pulcherrimisque ornatos silvis quæ seu ad domos exstruendas seu ad supellectilem apparandam pretiosa ligna suppeditarent, hæc addit : « Ταῦτά τε (τὰ ξύλα) δὴ κατάγουσιν εἰς τὸ ἐμπόριον τὴν Γένουαν, καὶ θρέμματα καὶ δέρματα καὶ μέλι, ἀντιφορτίζονται δὲ ἔλαιον καὶ οἶνον τὸν ἐκ τῆς Ἰταλίας..... » (IV, VI, 2). Quibus ex verbis plane apparet emporium [1] quondam fuisse locum, at plerumque portum, in quem, certis anni temporibus, hinc unius aut plurium gentium homines, illinc externi mercatores solennis ac mutui commercii usu adducti convenirent, utrique res varias inter se mutari soliti, illi quidem quæ maxime necessaria et quamprimum absumerentur, hi contra merces trans maria nec sine permagno lucro evehendas auferentes.

Horum vero mercatorum, hi nisi statis nundinarum temporibus aderant ; alios contra ne dubites fere jam ab origine exstitisse, qui in emporio ipso consisterent, seu competitores arcere, seu conditas ac servatas in cellis merces tueri operæ pretium esset. Inde, in plerisque emporiis, vicus exstructus, quem diligenter munitum advenæ soli incolerent.

Quod ad emporii situm attinet, eum plerumque mercatorum externorum utilitati, quippe qui locum vere condidissent, accommodatum fuisse constat ; nunc saxeum promontorium, castris locandis, in quæ se reciperent, maxime idoneum ; nunc peninsulam, cujus ab isthmo facile prohiberi hostis posset, aut insulam, multo tutiorem ; sæpius quoque situm ad fluminis ostium lit-

1. *Comptoir* gallicum verbum est quod *emporio* rectius respondeat. Cf., quum satis naturaliter congruant, nec tamen ab omni parte, barbarorum Somâli hodierna emporia, Zeilah, Berberah, etc.

tus peropportunum sane, seu appellere, seu aquari, seu naves subducere opus esset; nonnunquam etiam, quum plana et humilis ora occurreret, arenosæ tæniæ terminum, ad ipsas fauces per quas in mare lacus interior exibat. Alienigenarum autem vico oppositus, mox vicus alter barbarorum, seu in altera fluminis ripa, seu in littore insulæ proximo, seu in intimo maritimi stagni recessu et oriebatur et crescebat; nonnunquam fere contigua ac continua duo hæc oppidula, donec in unum coalescerent; nonnunquam vero procul alterum ab altero exstabat, ita ut nunquam inter se confunderentur [1].

Veteris cujusdam emporii et formam descripserunt et historiam nobis prodiderunt antiqui scriptores, scilicet hujus quod subjectum Pyrenæis montibus, in intimo sinu quem nunc *Rosas* vocant, præ Clodiani [2] fluminis ostio, parvam insulam littori objacentem [3] insidentes, Phocenses condiderant. Progredientibus temporibus, dereliquerunt insulam, quam Strabonis ætate adhuc videre erat, invectu terræ nondum annexam continenti, sed vacuam, et jam *veterem urbem* (παλαιὰ πόλις, Strab., III, IV, 8) nuncupatam, atque in oppositum littus sedes coloni transtulerunt. Tum duæ urbes ex adverso exstiterunt, altera quidem græca, altera vero barbara, nempe ab indigenis (Indigetibus) frequentata, quas simul et murus dirimeret et communis munitio amplecteretur : Indigetes enim ad Phocensium emporium confugisse et vallatum suburbium græco oppido applicuisse Strabo auctor est. Necnon apud Livium legimus quanti Indige-

1. Cf. in Italia Populonium, ap. Strab., V, II, 6; Locros, ap. Livium, XXIV, 1.

2. La Mouga.

3. Isla de las Mejas.

tes græci emporii propinquitatem æstimarent : « Commercio eorum (Græcorum) Hispani, imprudentes maris, gaudebant; mercarique et ipsi ea quæ externa navibus inveherentur, et agrorum exigere fructus volebant... » (XXXIV, 9). Ceterum, a barbaris vicinis Græci perpetuo ac diligenter cavent; nocte pars tertia civium in muris excubant; unius portæ, qua ab oppido græco in barbarum aditus est, assiduus custos semper est aliquis ex magistratibus; Hispanum neminem in urbem recipiunt; nec merces ad Indigetes nisi præsidio munitas mittunt. Mommsen inde colligit immanes adhuc atque inconditos Indigetes fuisse; cui etsi assentimus, pristini cujusvis emporii faciem et habitum ejusdem modi fuisse existimamus.

Novo tamen temporis spatio interposito, qui primum Phocensis emporii sub mœnibus quasi in armis insidebant Indigetes, mitioribus ingeniis paulatim imbuti, in græcam civitatem suscipiuntur (v. infra, cap. III). Una jam tum civitas, unus populus, Græco-Hispanus, scilicet Emporienses, qui colonias sua vice circum suum sinum deducunt; at Livii et Strabonis temporibus adhuc exstabat murus in medio positus perantiquum rerum statum qui testaretur.

Nunc vero hæc signa, quibus emporium proprie dignoscitur, utrum in Phœniceis Syrtici maris coloniis appareant, necne, requiramus :

1° Quod ad situm attinet, omnes profecto aut fere omnes (v. indicem jam supra descriptum, cap. I; cf. tabulam nostram) emporii speciem exhibent.

2° Quod ad nomen, plures non aliter notæ nisi promiscua appellatione : *Sabrata, Zuchis, Cellæ* [1], quæ verba

1. Quem dicendi modum, in his ipsis littoribus, tot jam elapsis seculis;

idem atque emporium valent. Ne mireris igitur has ab antiquis proprie et κατ' ἐξοχήν « Emporia » habitas fuisse.

3° Quod peculiariter emporii specimen est, scilicet opposita duo oppida, hoc quidem a mercatoribus advenis conditum (παλαιὰ πόλις), illud autem ab indigenis in civitatem adscriptis (νέα πόλις), in his ipsis littoribus comparere testatur philologia : Syrtium enim in ambitu sex locos, ne plures dicamus, *Neapolis* aut *Macomades* nuncupant veteres scriptores, nec quemquam fallit his nominibus non novam urbem eversæ alterius urbis in ruderibus ædificatam, sed recentem vicum priscæ urbi applicatum significari [1].

His quidem verbis Phœniceum in Oceano emporium Lixus apud Scylacem definitur : « ποταμὸς μέγας Λίξος καὶ πόλις Φοινίκων Λίξος καί ἑτέρα πόλις Λιβύων ἐστὶ πέραν τοῦ ποταμοῦ καὶ λιμήν..... » Hanc eamdem faciem Syrtium emporiis fuisse, si pares nobis fingamus et in Oceano et in interno mari Phœnicum artes atque mores, facile conjiciemus.

5° Quod quidem ut conjicimus fuisse comprobant viatorum recentiorum indagationes, quarum gratia in urbe Lixo (ut illustri exemplo utamur), ad ostium fluminis Loukkos in Oceanum influentis, subtiliter ac plane nunc etiam discernimus [2] : hinc Phœniceam ar-

nunc etiam reperies : golfe de *Zuca* (d'Anville). In Djerba insula præcipuus vicus hodie *Houmt-es-Souk* vocatur, id est « nundinarum vicus » et pristini emporii, « si parva licet componere magnis », similitudinem refert (Barth, Maltzan). Zerzis portui proximum locum Kasr-Mouença alio nomine *Souk-el-Kebir* (magnum emporium) nuncupant. V. Guérin, I, 222 ; Barth, 266.

1. Cf. Oporto, Villa nova de Gaïa. Macomades Neapolis, v. Kiepert, *Lehrbuch*, etc., p. 218, § 197.

2. V. Barth, p. 23-25 ; C. Tissot, *Recherches sur la géographie comparée de la Mauritanie Tingitane*, p. 69 et sqq.

cem, jugis impositam, muro circumdatam et munitam qui fere in omnibus partibus phœniceum opus significat, « formé de blocs énormes, soigneusement équarris et assemblés à sec [1] » ; illinc autem urbem ipsam, in declivi monte devexam, necnon et suburbium quoddam quod secundum fluvium continuabatur; demum insuper his, viginti abhinc stadiis, trans fluvium, Libycam eam urbem (nunc El-Araïch) quæ apud Scylacem memoratur.

In urbe Sabrata, phœniceum oppidum propter mare, dextra in ripa fluminis Oued-el-Ethel, versus initium modici promontorii exsistebat; cujus humilis fluminis in ostio fuisse olim portum suspicamur, postea arenis obrutum ; sinistra autem in ripa Neapolim (v. Steph. Byzant., p. 8), scilicet Libyum aut potius Libyphœnicum urbem jacuisse, qua nunc cernuntur vestigia dirutæ crepidinis (Barth, Maltzan), ibique requirendam esse eam stationem, σάλον, de qua in Stadiasmo mentio incidit. Nunc meridiem versus, satis longe a littore, assurgunt colles a quibus ad mare pertinens murus immensus, cujus supersunt infimæ partes, præter duo jam dicta oppida vastum spatium amplectitur, quod Barthius æstimat suburbium fuisse Nomadibus destinatum Sabratense emporium celebrantibus (cf. Maltzan, III, 272). Immenso muri illius ambitu, ad quem stupet Maltzan, forsan explanatur quoddam Stephani Byzantini verbum, Abrotonon (Sabratam) χωριον appellantis.

Ad Leptim majorem nunc accedamus. Portum ibi quoque fluminis alveus præbebat. In dextra ripa, castellum; in sinistra, vetus phœniceum oppidum, parvam peninsulam insidens, quod ita fere ab omni parte seu

1. Tissot, *Ibid.*, p. 71.

mare seu flumen circumiret, terna vero mœnia a continente tuerentur (Barth., 306-308). Libyphœnicum vero urbem (v. cap. III), hos extra muros posterius conditam, in utraque fluvii ora, ideoque duobus vicis constantem, munitis quidem, Barthius pari diligentia inspexit ac descripsit; his demum alium vicum addas, prorsus dissimilem, in orientali fluminis ripa jacentem, cujus intra circuitum « nulla fere vestigia » apparent, quasi olim casulæ tantum aut mapalia ibi fuerint. In hoc suburbio, Barthii quidem ex sententia, mœnibus Leptitanorum protecti, Macæ, gens vaga, greges atque mapalia secum trahentes, hiemabant : « τὴν Σύρτιν παροικοῦντες οἱ Μάκαι χειμάζουσιν ἐπι θαλάττῃ τὰ βοσκήματα κλείοντες..... » (Scylax). Iisdem hibernaculis usos fuisse, sexto P. C. sæculo, barbaros hos Maurusios quos Leucathas (Λευκάθαι, Louâta) Procopius nuncupat (*de Ædific.*, VI, 4) satis verisimile est ; eosdem tumulosos locos (ἐν χώροις λοφώδεσι, Procop., *ibid.*) credimus receptaculum fuisse, quum convenirent a Garamantum partibus mercatores, magnis iis nundinis per quas maxima emporia florebant [1], necnon et hic fuisse casulas rusticorum Libyphœnicum, qui vicinum agrum incolerent [2].

6° His quidem præclaris exemplis, ex quibus phœnicei emporii quæ fuerit universa species cernere est [3], breviora quædam indicia adjungantur :

Euphrantam Turrem et Macomades Selorum non qui-

1. « Au S. O. de Ghadames est un plateau, celui de Dhâhara, où campent les Touareg qui viennent en ville. Quelques-uns même y sont à résidence fixe : c'est une sorte de faubourg *targui*. » (Duveyrier, p. 256.)

2. Cf. hodiernos Dacici campi (Puzta) agricolas.

3. Quod ad Sabratam attinet, tum Barthii tum Maltzanii narrationem contexuimus, necnon et ipsi quædam de situ et *novæ urbis* et portus et maritimæ stationis conjecimus, per quæ hinc Stadiasmus, hinc recentiores tabulæ (C. Müller, Dépôt de la guerre, Mouchez) consentirent.

dem unam urbem, ut Barthius et C. Müllerus existimant, sed potius unius emporii binos vicos fuisse suspicamur, ita ut phœniceo oppido Euphrantas, Libyphœnicum urbi Macomades quadraret;

Quum inter Oeam atque Macaroeam quoddam intersit discrimen (L. Müller, *Numismatique*), nec tamen hæc procul ab altera requirenda sit, conjicere licet Oeam libycam urbem fuisse (Movers), Macaroeam vero phœniceum ejus portum, qui per se diu, vel ad ætatem Augusti, superstes fuerit.

Duos hodie vicos, nonnullo intervallo distantes, armisque inter se decertantes uter emporio fruatur, Tacapensis ager amplectitur; quam eamdem loci faciem jam punicis temporibus fuisse nobis fingimus;

Binos etiam vicos, flumine sejunctos, quodammodo declarant quæ de ruderibus *novæ urbis* (Neapolis) fluvio Terf-el-Ma impositæ traduntur;

Et divisæ bifariam urbis indicium est nomen *Macomades minores*; de qua Guerinus, etsi parum dilucida narratione, vastum tamen ambitum diversosque introrsus vicos arguit. Quæ locorum ordinatio clarior adhuc appareret, si sparsas circa Oghlet-Khefifia ruinas (?) ad hoc vetus emporium pertinere constaret;

Idem animadvertas de ruinis « Henchir Tina » vocatis, quales quidem depinxit Guerinus;

Disjectas tum fluminis Oued-ech-Chegga ad utramque ripam, tum promontorii Bergaouad in planitie ruinas quum satis accurate Beechey (p. 190 et sqq.) descripserit, ex ejus relatione duos saltem, nisi plures, vicos fuisse pervidebis, hinc phœniceum oppidum promontorio impositum, illinc autem aliam urbem in valle, interposito duorum millium spatio;

Ne plura, jam in his sex aut septem locis notare queas,

— credimus quidem, — quod prius in Sabrata et in Lepti majore compertum fuit, scilicet duobus appositis oppidis punicum emporium constitisse.

Aliis vero in partibus, non apposita quidem, sed vicina tantum, quodam intervallo discreta, bina oppida exsistebant, ita ut mediterraneum Libyes tenerent, maritimum Phœnices;

Sic Iscinam et Characem non prorsus unum atque eumdem locum fuisse, sed Iscinam in interiore terrarum tractu, Characem, punicum emporium, juxta littus stetisse arbitramur;

Lacum Bahirt-el-Biben circumeunti atque inspicienti, non solum juxta mare (Dakhla, Bordj-el-Biben), sed etiam ac præcipue in imo stagni recessu (El-Medina, Bou-Gournin) ruinæ occurrunt. Quibus vero de causis Zeucharin et Tarichias ad mare, Zuchin autem et Villam Magnam propter interiorem lacus ripam sitas fuisse arbitrati simus, jam novisti. Quos tamen locos omnes non possumus quin commercii consuetudinibus ita junctos ac velut in unum conglobatos fuisse ducamus, ut in Zuchi præcipuum emporium (Souk) fuerit, huic autem portus exteros Tarichiæ et Zeucharis præbuerint.

Ad summam, quæcumque indicia quibus dignosci solent prisca emporia, ea omnia tum exhibent phœniceæ coloniæ in Syrtium ambitu conditæ, tum fere ad extrema punicæ ditionis tempora videntur retinuisse; unde ratio reddetur quemadmodum has proprie ac peculiariter « Emporia » nuncupaverint.

Quæ quidem in hoc capite continentur argumenta parce ac verecunde emittimus, quum hinc non nisi imperfectæ tabulæ nobis præsto sint, illinc tot et tanta in narrationibus recentiorum viatorum, vel gravissimo-

rum, desiderentur : quippe quibus antiqua rudera transeuntibus mirari quidem [1], nec vero demetiri, nec scrutari vacaverit, ita ut cognoscendi studium plerumque accendant, non autem expleant. Quot tamen arcana, et quam mira, in lucem proferret diligens veterum rerum indagator, qui justis opibus ac præsidiis instructus omnia certa ratione exsequi velit [2]!

1. V. Barthium apud Sabratam (p. 277), apud Leptim majorem (p. 306); Maltzanium apud Sabratam (III, 371-374), Beechey apud promontorium Bergaouad (p. 187 et sqq.).

2. Qualem ad Lixum C. Tissot se præstitit.

CAPUT TERTIUM

CARTHAGO EMPORIA OCCUPAT

CAPUT TERTIUM

CARTHAGO EMPORIA OCCUPAT

Jam inde a septimo sæculo occidentales Tyriorum coloniæ in deterius lapsæ sunt (Movers, II, 454-459; Maspéro, 440-444). Hujus imperii reliquias excepit Carthago, quæ, quum inter omnes Tyri colonias una amplum sibi agrum paravisset, armis opibusque pollebat.

Non continua tamen Tyro videtur successisse. Constat enim inter certissimos scriptores (Movers, II, cap. VII et XII) Hispaniæ et Siciliæ colonias, ex quo a Tyriis desertæ sunt, priusquam in Pœnorum fidem ditionemque venirent, diu in periculis fuisse versatas, quum hinc confluentes e Græcia coloni, illinc indigenæ populi urgerent [1]. Similiter, credendum est utriusque Syrtis emporia, minantibus Doribus qui totam Cyrenaïcam inter 640 et 580 annos A. C. occuparunt, lacessentibus vagis maritimæ oræ gentibus, Nasamonibus, Psyllisque, et Macis, et Gindanis, et Lotophagis, non alia usa fuisse fortuna, et, interposita annorum serie, quorum de nu-

1. Cf. Emporia ad Oceanum sita : « ἃς (πόλεις) οἱ Φαρούσιοι καὶ οἱ Νιγρῖται ἐξεπόρθησαν... » (Strab., XVII, III, 3). — Cf. apud Procopium, *De Ædific.*, VI, 4, Hadrumetinos, a Mauris obsessos.

mero aut historia nihil constat, Pœnorum classes vel sponte sua vocavisse, vel, imposita necessitate, haud repugnanter accepisse.

In posteriori sexti sæculi parte, Syrtium emporia Carthago obtinebat, quod quidem pluribus ex indiciis apparet, quæ sunt :

1° Fœdus cum Romanis anno 509 ictum, necnon perutile Polybii commentarium, quibus eam Byzacii minorisque Syrtis loca tunc tenuisse compertum est ;

2° Herodoti testimonium, apud quem (V, 42) videmus qualem dominam, ad Cinyphis ripas, ultra Leptim alteram, anno 517 A. C., illa se gesserit ;

3° Philænorum pactum quo usque ad intimum recessum majoris Syrtis Pœnorum imperium continuabatur, quodque, ut similius veri est, sexto sæculo factum est (Lenormant, II, 395-397).

Eo ipso tempore, quo periculosa ista libertate fruebantur emporia, antequam iis Carthago securitatem cum servitute inferret, Libyphœnicum genus ortum et constitutum fuisse arbitramur. Donec enim viguit metropolis et aliquo usu cum emporiis juncta fuit, cur Phænices indigenis ita miscerentur ut novus inde fieret populus causa profecto nulla erat ; sed quum emporia omni subsidio caruerunt, impendentibus undique periculis, barbarorum illorum auxilia circumspexerunt qui finitimi, suo jure suisque legibus agentes [1], propter propinquitatem vero mitiores, Phænicum ipsi præsidium desiderabant. Tum sane, ut nobis videtur, Libyes illi in civitatem accepti. Testis Strabo, qui, postquam exposuit quo modo, in Emporio Pyrenæo, Græci atque Indigetes in

1. .. .. « Χαίπερ ἰδίᾳ πολιτευόμενοι.... » ut ait Strabo de Indigetibus.

unum ita coierint ut novus inde populus evaderet, cui nomen Ἐμπορῖται, hoc addit insuper : « ὅπερ καὶ ἐπ' ἄλλων πολλῶν συνέβη..... » (III, IV, 8). Quod quidem præcipue de Syrticis emporiis dici posse existimamus. Civitate igitur et connubio donatis Afris, non fieri non poterat quin novum inde genus cito oriretur. Proprios mores secum attulerunt nonnullos, cætera Phœnicum instituta acceperunt : « Εἰς ταυτὸ πολίτευμα συνῆλθον μικτόν τι ἐκ τε βαρβάρων καὶ Ἑλληνικῶν νομίμων..... » (Strab., *ibid.*). Qui profecto populus mixtus Phœnicum lingua, plus minus Libycarum dialectorum contagione depravata, usus est (Sallust., *Jug.*, 78), non ita tamen ut Libyum linguam dedisceret (Kiepert, § 195, n. 2).

At, quum phœnicei oppiduli circuitus novam hominum multitudinem capere non posset, tum sane, et propter hoc unum, in præcipuis locis exstructi sunt illi vici, *Makom-Ada* seu *Neapolis* appellati, quorum nomen ipsum, in Syrtium oris tam crebrum, novi vici in urbe conditi indicium est. Jam tam prisca urbs tanquam arx exstitit, quæ, ut Byrsa Carthaginis, et armamentarium et deorum templa contineret, dum magna pars incolarum novæ urbis civibus se immisceret. Quæ quidem *Neapolis,* et amplior, et frequentior, quamvis antiquum oppidum semper eodem pristino nomine exsisteret, tanquam urbs ipsa ab alienigenis persæpe habita est (Scylax).

Ne multa, Libyphœnices in Emporiis degentes, non e paulatim effecta quadam Phœnicum et Libyum mixtura, sed e pacto quodam (qualia in originibus Romæ vel Carthaginis occurrunt) ortos fuisse arbitramur. Quo igitur tempore id evenisse verisimilius est quam turbato illo annorum spatio quo Syrtica emporia, calamitatibus undique instantibus, certos socios novosque cives desiderarent ?

Hoc quidem caput totum conjectura niti fatemur. At profecto, nihil cernimus quod opinioni nostræ repugnet; multa vero cum illa insigniter congruunt, præsertim quæ de Libyphœnicibus[1] prisci scriptores retulere; denique emporiorum situi et formæ, quales nostri peregrinationes describunt, optime quadrare nostræ rationes videntur.

1. Libyphœnices dicimus ante Carthaginem eversam (Diodorus, XX, 55; Steph. Byzant. ad verbum Ἀβρότονον, et passim). Diruta autem Carthagine et illius DCC millibus civium in interiora Libyæ dispersis, omnibus agricolis Byzacium incolentibus nomen Libyphœnicibus inditum (Plin., V, 4; Ptolemæus, IV, III, 22, ed. Nobbe).

CAPUT QUARTUM

QUO JURE, SUB DITIONE CARTHAGINIS, FUERINT EMPORIA

CAPUT QUARTUM

QUO JURE, SUB DITIONE CARTHAGINIS, FUERINT EMPORIA

Punicum imperium societas erat (Pauly, *Real-Encyclopädie,* ad v. Carthago) quæ, ut apud veteres plerumque et apud recentiores populos non semel, æquo jure non stabat. Quo quidem in imperio, a Numidiæ finibus usque ad aras Philænorum patente, diversæ reperiuntur partes :

a) Nempe Carthago ipsa, pura e phœnicea origine; πόλις Φοινίκων, ut ait Scylax (§ 111) ; — Φοίνικες μὲν, οἱ τὴν Καρχηδόνα τότε κατοικοῦντες, inquit Diodorus (XX, 55).

b) Coloniarum in ora maritima sitarum, quæ a Phœnicibus originem duxerant, validissimæ; quæ profecto, jam Libyphœnicum factæ (ut supra dictum est), nomine *civitatum* in punicam societatem venerant, proprium agrum magistratusque et leges servaverant, pecuniam vero conferebant. « Fœderatas civitates » eas appellat Diodorus (XX, 10, τῶν συμμαχίδων πόλεων), « tributarias urbes » Justinus (XXII, 7). Ibi per militares præfectos (στρατηγός, Polybius, I, 66, 72), per præsidia, et id maxime punicorum bellorum temporibus, necnon per coactores summæ rerum præerat Carthago. Unicuique

civitati milites imperabantur qui, Pœnorum in exercitu suos numeros suosque ductores servabant, hos equidem perraro ad summos ordines militiæ provectos (T. L., XXV, 40; XXVI, 40). *Connubium* cum Carthagine sociæ illæ civitates habebant (Diod., XX, 55), sed Libyphœnices istos adeo contemnebant puri Phœnices Carthagine viventes, ut illos jus suum, quo donatos quum in societatem venissent conjicimus, raro usurpasse verisimile sit. Quanquam Diodorus auctor est ex illo connubio et nomen et cum Pœnis affinitatem Libyphœnices traxisse; at certius propter communem originem ita se res habuisse nobis videntur.

Revera, socii illi haud aliter quam *obnoxii* in publicis instrumentis designabantur: Ὅσαι πόλεις καὶ ἔθνη Καρχηδονίων ὑπήκοα..... Πασῶν πόλεων καὶ ἐθνῶν ὅσα ἐστὶ Καρχηδονίοις ὑπήκοα....., his scilicet verbis, in fœdere inter Annibalem Philippumque icto, bis mentio fit sociorum (Polyb., VII, 9. Q uum omnia societatis onera ipsi sustinerent, pertinaci odio Carthaginem persequebantur, ut nunquam non, datis occasionibus, videre erit (Polyb., Diod., App.). Sed per crebras seditiones tantummodo gravior in dies evasit eorum fortuna, inde, ut opinamur, pejor ante finem tertii sæculi conditio (Polyb., I, 88) quam eo tempore quo societatem inierant.

Inter fœderatas illas civitates annumerandæ sunt :

Primum Utica, secretum quasi locum obtinens, quæ in fœderibus tum anno 348 tum anno 215 pactis prima post Carthaginem ipso nomine nuncupatur.

Leptis magna (Sall., *Jug.*, 78), quæ sola inter omnes emporicæ regionis urbes et civitatis gradum retinuerat (T. L., XXXIV, 62), et proprium agrum, cujus fines ad occasum Scylax nobis indicat (v. cap. v).

Aliæ urbes, Carthagini propiores, de quibus, non

nominatim vero, in Diodoro et Polybio mentio fit ; quæ quidem erant, ut conjicimus, inter promontorium Hermæum et Thenas sitæ, Clypea, Curubis, Adrumetum, Ruspina, Leptis Minor, Thapsus, Acholla, Usilla, et denique Cercina. Illæ enim urbes seu apud Plinium, seu apud Hirtium, seu in lege Thoria (c. xxxviii) *liberæ* dicuntur, quod jus a Romanis propter latum contra Carthaginienses auxilium acceperant (App., VIII, 85); cur autem cum Roma amicitiam fecissent, nisi Libyphœnicum fuissent, non Pœnorum civitates, magnæ Phœnicum urbi invidentes ?

c) Maritimæ urbes quas Carthago directo imperio et dominio tenuit, proprioque *agro* (χώρα, cf. cap. v) adscripsit. Inter quas profecto omnes eas quæ non sociæ civitates erant referemus, scilicet omnia emporia a Thenis usque ad Cyrenarum fines, magna Lepti excepta. Sed jam inter hæc ipsa emporia discernemus :

I. Colonias. — Tradit enim Aristoteles[1] Carthagini morem fuisse colonos in urbes sibi subditas mittere, collectos e plebe, qui, dum in urbe patria nimium frequenti eguissent, ibi autem opibus abundabant. Quæ quidem coloniæ, si non fallimur, non cum græcis, veris civitatibus (Fustel de Coulanges, *Cité antique*, III, 16), sed potius cum *clerouchiis* Athenarum possunt conferri, ita ut earum incolæ, quod ad leges saltem civiliaque jura attinet, Carthaginis cives permanerent. Hos

1. Ὀλιγαρχικῆς δ' οὔσης τῆς πολιτείας ἄριστα ἐκφεύγουσι τῷ πλουτεῖν ἀεί τι τοῦ δήμου μέρος ἐκπέμποντες ἐπὶ τὰς πόλεις..... (*Polit.*, II, 11, ed. Bekker.)

Ἀεὶ γάρ τινας ἐκπέμποντες τοῦ δήμου πρὸς τὰς περιοικίδας ποιοῦσιν εὐπόρους..... (*Ibid.*, VI, 5.)

ipsos in conscriptis inter Annibalem et Philippum conditionibus hæc verba designant : τοὺς Καρχηδονίων ὑπάρχους, ὅσοι τοῖς αὐτοῖς νόμοις χρῶνται. Et hoc ne prætermittas, eos proxime et secundum Carthaginienses, caput rerum, ante socios, ante ipsam Uticam in fœdere nominari. Nec ad occasum, inter Metagonitarum oppida, colonias ejusmodi quæras, si modo animadverteris quibus curis, antequam Annibal in Italiam pergeret, ab istis oppidis cautum fuerit (Polyb., III, 33). Has potius, quantumvis tenebrarum sit in verbis quibus utitur Aristoteles (τὰς πόλεις....., τὰς περιοικίδας), in emporico littore inter Byzacenas civitates quas proxime diximus et alteram Leptim exstitisse arbitramur :

Primum, quia nusquam alibi commodius quam in isto tractu rem augere promptum habebant fabri aut institores e plebe Carthaginis deducti ;

Secundo, quod una illa regio, in bello Inexpiabili, quum jam undique cetera Libya rebellasset, fidem erga Pœnos retinuit (Polyb., I, 82) ;

Deinde quia apud Polybium, quum Masinissam Emporiis inhiantem ostendit, legimus : τὸ πλῆθος τῶν πόλεων τῶν περὶ τὴν μικρὰν Σύρτιν ἐκτισμένων (XXXII, 2), quod quidem tantummodo de urbibus haud pridem conditis, punicis non phœniceis, dici potest.

Ad summam, in singulis emporiis quæ superesse voluit colonos suos Carthaginem deduxisse verisimile est.

His coloniis, ex ipsius Carthaginis gremio eductis, addendæ sunt quas seu captivis seu dedititiis frequentaverit (Movers, II, 25, 490). Sic Oeam e Silio Italico (III, 257) perspici potest sicilienses colonos accepisse. Horum de conditione quidquam conjectare dubitamus.

B. Emporia. — Tyria inter emporia, præter ea quæ tum in socias civitates tum in punicas colonias mutata

fuerunt, alia insuper exstabant quæ Carthago, qualia acceperat, mera scilicet emporia, talia servavit; ita ut ea ipsa nunc celebrare, nunc, si prodesset, derelinquere ad suum arbitrium posset. De his quidem non e priscis testimoniis, sed tantum e subductis rationibus constat. Ceterum sequentia nos docebunt mera hæc emporia in majore Syrti, ultra Leptim, potius exstitisse, quum contra coloniæ præsertim circa minorem Syrtim vigerent.

Quum autem definierimus qui diversi gradus in Pœnorum ditione fuerint, ad communia onera munc pergamus :

a) Ditioni Carthaginiensium omnes juxta urbes paruerunt ; omnes Carthagini jus belli pacisque transmiserunt, in absolutum obsequium juraverunt, et gravissimas, si fidem violassent, dedere pœnas. Adde quod milites præstabant, quod classibus iis interdicebatur, quippe Carthagine solvunt, Carthaginem remeant omnes classes de quibus audimus. Nec pecuniæ signandæ copia data erat, quoniam africanos nummos, præter punicos, nisi post Carthaginem eversam nullos novimus (Lenormant, L. Müller).

b) In negotiando non minus obnoxiæ : nam ex omnibus indiciis (v. Movers, II, 475) credendum est Carthaginem subditis suis maritimi commercii facultatem durius renuisse. Nusquam, dum res punica stetit, de navibus leptitanis aut sabratensibus, aut alius cujuslibet civitatis, coloniæ vel emporii mentionem reperimus. Punicæ modo naves ad africani littoris portus appellebant, eæ solæ omnia per mare importabant aut exportabant. Tyrus coloniis quas manu non emiserat eam legem dixerat (Movers, II, 43-47, 49-57), nec videmus cur Carthago, in media et occidentali maris in-

terni parte Tyri hereditatem adepta, aliis erga proprias colonias[1] artibus usa fuerit. Eo facilius, quo propior erat. Haud aliter ceterum Europæi, a xv° sæculo fere usque ad nostram ætatem, loginquis in coloniis se gesserunt.

Portus ii, quibus et ipsi Libyphœnices prohibebantur, eo magis alienigenis interdicti fuere (v. infra, cap. VIII). Omnes enim interni maris naves suum ipsius in portum attrahere Carthago contendebat. Attamen, in re ipsa agenda, commercii necessitatibus parere debuit, ac portus ex instituto quidem interdictos fuisse dici potest, nonnunquam vero varias ob causas, prout tempus, locus, commercium postularet, quosdam apertos fuisse. Quod ad portus syrtici maris pertinet, occidentis nautis fuisse præclusos, orientis vero certis quibusdam in locis patefactos crederes (v. cap. VIII).

Syrticorum igitur portuum incolis quæ partes supererant? Primum illis subsidium fuit agros colere, tunc longe uberiores quam nunc sunt; secundum, quod præcipuum plebi Carthagine advectæ commodum erat, artes tueri : etenim piscabantur, pisces sale condibant, varias telas texebant et purpura tingebant; postremo, si commercium maritimum (ναυκληρία) præsto non erat, at terrenum supererat (φορτηγία), per nomadum comitatus, cum loginquis populis, æque ac institoria (παράστασις). Unde tanti quæstus proveniebant, ut valde et Libyphœnices (documento sint præclaræ Leptis ruinæ) et punici coloni ditescerent (Arist., *Polit.*, II, 11, πλουτεῖν; VI, 5, εὐπόρους). Præcipuum vero commercium, scilicet externum et maritimum, ad solos Carthaginis negotiatores recidebat.

1. Exceptis Gadibus, quibus Cathago commercium Oceani videtur transtulisse (Strab., III, V, 11, et passim.)

c) Tributa pendebant. Tributum (quo fortasse, ut Athenis, navalem militiam redimebant) sociæ civitates videntur solvisse, statum quidem, non ita tamen ut illud Carthago vel augere vel ad libitum duplicare unquam dubitaverit. Colonias autem, punicis civibus frequentatas, quanquam tributo mulctatas fuisse minime credendum est, magni tamen inde fructus percipiebantur, scilicet, ob divites nundinas, portoria et alia hujusmodi tributa, quæ aut pro parte Carthago aut in in totum sibi vindicabat. Ea Livius recte *vectigalia* nuncupat (XXXIV, 62; v. infra, cap. XI), et singula in dies talenta dedisse asseverat (2, 343, 750 fr. quotannis, ut rationem subduxit Mommsenius). Quos ut opimos fructus exigerent, sui ubique Carthaginiensibus erant ministri, *præcones* et *scribæ,* qui venditionibus præessent (Polyb., I, 22; cf. Arist., *Polit.*, VI, 8, ed. Bekker) necnon et, credimus, sui coactores atque ærarii curatores, ab urbe missi, et inter principes lecti (Mommsen, III, 24, auctore Aristotele ?...).

d) Mommsenius insuper contendit (III, 13) Libyphœnicum civitates, postquam Carthagini se dediderint, sua mœnia evertere fuisse coactas. Cui in hoc loco non assentimur. Hippoacra enim munimenta servavit (Diod., Polyb., Livius), æque ac Thapsus et Hadrumetum (Diod., XX, 17), æque ac syrtici littoris emporia, ut jam testatur Polybius (XXXII, 2), ut rem planiorem plures nostræ ætatis peregrinatores fecerunt. Quod ceterum, etiamsi nullo teste fundaretur, foret tamen conjiciendum. Quis enim credere possit seu Tyrum, seu Carthaginem obnoxia vagis gentibus quæ ea celebrabant sua emporia reliquisse ? Verba Justini, quo auctore Mommsenius et multi alii ita sentiunt (« quod urbes castellaque Africæ, non muris cinctæ, non in montibus positæ sint, sed in planis

campis sine ullis munimentis jaceant », XXII, 5), si quid valeant, tantummodo ad planos Byzacii campos, mediterraneam agricolarum regionem, spectant, ubi revera Carthaginis intererat nulla pati munimenta. Quanquam huic ipsi interiori parti Byzacii loca munita, si credimus Appiano (VIII, 101), plurima inerant.

CAPUT QUINTUM

DE CARTHAGINIENSIUM AGRO, SEU χώρᾳ

CAPUT QUINTUM

DE CARTHAGINIENSIUM AGRO, SEU χώρᾳ

Ut sociorum civitatibus suus cuique ager erat, ita et ipsi Carthagini suus erat, qui, ut Romæ *publicus ager*, bello imperium augente, crescere et extendi in dies debuit. Quem græci scriptores, Scylax, Polybius, Diodorus, Appianus τὴν χώραν vocant.

Sæpe quidem χώρα « regionem » vel « campum apertum, rus, » ex adverso « urbis », significat. Non raro tamen, politico quodam sensu, proprium civitatis agrum designat (v. Aristot., *Polit.*, VII, 4, 5, ed. Bekker). Cujus rei quo certiores fiamus, satis est si apud Diodorum Agathoclis bella, apud Polybium tum res a Regulo gestas tum mercenariorum rebellionem, apud Appianum librum octavum totum legamus : ubi profecto verbum τὴν χώραν ita usurpatum reperimus ut haud aliter quam per « agrum Carthaginiensium » latine reddi possit [1].

Quum illud constet, jam poterimus, comparatis pluribus locis ubi χώρα indubitate hanc vim habet, ager

1. Supervacaneum est monere, quotiescumque de socia aliqua civitate agitur, τὴν χώραν pariter hujus civitatis proprium agrum designare. Sic enim Diodorus, XX, 54, de Uticensi agro; Polybius, I, 29, 36 (ed. Didot), de Aspidis agro; Cf. Plinium, VI, 34 : « Ægypti inferiora, quæ χώρα vocatur Alexandriæ..... »

publicus Carthaginiensium quantus fuerit et quos fines attigerit propemodum definire.

1° Gapharæ primum (fluminis Oued-Bou-fâres ad ostium, cf. cap. I) Scylax, ab oriente advectus, Carthaginiensium τῆς χώρας meminit (v. appendicem A de Scylace); unde constat usque ad fines Leptis majoris punicum agrum patuisse.

2° Ex alio Scylacis loco (v. appendicem A) hujus Carthaginiensium χώρας esse minoris Syrtis oram comperimus; et eodem maxime verbo Polybius utitur, ut minoris Syrtis oram et Emporiorum regionem designet (III, 23; XXXII, 2); Livius dicit : « agrum maritimum » (XXXIV, 62).

3° Diodorus Siculus narrat Agathoclem ad Latomias (lapicidinas El-Haouria, Guérin; cf. Strabonem, XVII, III, 16), haud procul ab Hermæo promontorio (Barth, 133) appulisse, et castra sua vallo ab altero mari ad alterum ducto munivisse; deinde, quum Carthaginem peteret, impetum fecisse in urbem *Megale Polis* vocatam, nempe « magnam urbem », οὖσαν τῶν Καρχηδονίων (XX, 8). Quod quidem, si tantummodo hoc oppidum Pœnis obnoxium fuisse significaret, supervacuum sane fuit id animadvertere, quum tota Libya ea fortuna uteretur; at si inde intelligitur urbem in proprio Carthaginis agro sitam esse, sensus certissimus fit ac dilucidus: Agathocles enim extra Carthaginiensium agrum, fœderatæ civitatis (Aspidis?) in agro appulit; quod vero primum aggreditur oppidum in proprio Carthaginis agro continetur. Hoc nos Diodorus monet, quemadmodum Sylax de Gaphara.

4° Compertum est, Phlegonte Tralliano auctore (v. cap. XIII), Carthaginiensium τὴν ἰδίαν ἐπαρχίαν, scilicet χώραν, occidentem et meridiem versus suos habuisse

fines certos, fossa celebri, Φοινίκιδες τάφροι quæ dicta fuerit, terminatos. Ceterum a Plinio (V, 4) docemur hanc fossam nisi post eversam Carthaginem usque ad syrticum mare fuisse perductam. Hæc omnia si una animadvertimus, et suum sociæ cuique civitati proprium fuisse agrum, quantuluscumque fuerit, recordamur, Carthaginiensium τὴν χώραν his finibus terminari conjiciemus :

Occidentem versus, Tuscæ fluminis (Oued-Zaïne, Oued-el-Kebir), ostium sane attingebat ; hic Carthagini erat dives tractus, quinquaginta oppidis ornatus, eodemque nomine Tusca dictus (App. VIII, 68). Ita fœderatos Uticæ, Hippoacræ, Theudalis (?) agros ἡ χώρα amplectebatur.

Meridiem versus, fossis punicis erat definita.

Ad orientem, non ultra Latomias porrigebatur, et ad syrticum mare tantum Neapoli (Καρχηδονιακὸν ἐμπόριον, Thucyd., VII, 50) pertinebat, parvos quosdam sociorum agros quasi includens, scilicet Aspidem, Curubim, etc., a promontorio Ras Adar (Pr. Hermæo) ad promontorium Ras-el-Mamour ; dein Hadrumeti, Leptis minoris, Ruspinæ, Thapsi, Achollæ, Usillæ agros ambibat, minoremque Syrtim paulo ante Thenas assequebatur, tum præter maritimam oram, usque ad Leptitanorum fines, ultra Gapharam, marginis instar extendebatur.

Talium finium amplitudinem si quis forte parum veri similem existimet, meminerit publico civitatis agro vel terras a præcipuo solo separatas, propter secundos bellorum exitus, potuisse contineri ; sic Capuam agros apud Picentinos et in Lucania obtinuisse (T. L., XXXIV, 45).

Ne multa, syrtici littoris Emporia, a Thenis usque

ad Gapharam, proprio ipsius Carthaginis agro continebantur. Quod maxime ex hac nostra indagatione, quam adhuc integram fuisse credimus, concludendum est.

CAPUT SEXTUM

DE VIIS QUÆ AB INTERIORE LIBYA AD SYRTICUM MARE PERTINEBANT

CAPUT SEXTUM

DE VIIS QUÆ AB INTERIORE LIBYA AD SYRTICUM MARE PERTINEBANT

Quum igitur quo nomine, quo situ præcipua syrtici maris emporia uterentur, quas conditiones a Carthagine acceperint, quantum qualemque agrum illa in regione sibi ea arrogaverit certiores facti simus, nunc per quas vias interioris Libyæ et mercatores et merces ad Emporia pervenirent, inquiramus.

Hanc quæstionem suscipientibus, contingit ut egregiis doctissimi lugdunensis geographi Berlioux studiis inniti liceat :

Hactenus quidem credebatur, auctore Heeren (IV, 245 et passim), in regione nunc Fezzan nuncupata antiqui Garamantum imperii sedem collocatam fuisse, et præcipuam eorum civitatem Garamam exstitisse ubi nunc Djerma sita est.

Docente vero sagacissimo viro Berlioux, a partibus quas Darfour vocant ad illas quas Insalah [1], Garamantum patebat imperium ; quorum duæ præcipuæ sedes montes Tibesti et Ahaggar, illius quidem in intimo recessu Garama oppido jacente.

1. *Les anciennes explorations*, etc., p. 13.

Æthiopum igitur merces non nisi per Garamantas Carthaginem advehi poterant, excepta tamen Atlantici maris ora, ubi punica emporia, nullo populo interposito, cum occidentalibus Æthiopibus mercaturas faciebant.

Scriptores antiquos inspicientes, tres vias a Garamantum partibus ad emporia punici maris ducentes reperimus. In quibus describendis, Ptolemæi tabulis quam minime utemur, quippe quæ ab ætate qua Carthago floreret jam nimium distent; Plinium potius, utpote antiquiorem, auctorem proferemus.

1° Via ad minorem Syrtim pertinens. — Eam esse brevissimam inter Garamantas et mare internum viam, quæ in Lotophagos exit, asserit Herodotus; hanc autem triginta diebus perfici (IV, 183). Si vero CC stadia pro unius diei itinere numerantur (Herod., IV, 101), sex millia stadiorum pro tota via computanda sunt; quod quidem spatium a freto Meningis, ubi Lotophagi ab Herodoto collocati videntur (IV, 177), emensi, minime in Phazaniam (Fezzan), sed inter Sebka Amadghor et Idelès, montis Ahaggar ad radices, deducimur.

Hanc eamdem viam, paucis forsan mutatis, Plinius describit (V, 4) [1]. Etenim, si narrationem ejus attente

1. Quod ad eam Africæ partem pertinet, plurimum Plinii testimonium valet :

1° Ipse Byzacium invisit (XVII, 5) ;

2° Quas ea de regione mensuras præbet, itinerum sunt mensuræ, sane ex Polybio sumptæ (v. infra, cap. x) ;

3° Primus antiquos inter geographos Tacapensem agrum copiose descripsit.

4° Quum insulas Kerkenah memorat, dicit minorem, Cercinitim, Carthaginem versus jacere (V, 7). Quod contra est. In hunc errorem incidisse facile intelligimus peregrinatorem, terra quidem petentem ex Carthagine Thenas (certam illius itineris mensuram Plinius novit), sed mari deinde ex

legimus, videmus eum, ab occidente ad orientem libycum littus secutum et ad minorem Syrtim devectum, medio in itinere quasi subsistere, tum ut nonnulla de illo sinu referat, tum præsertim ut longam locorum seriem depingat, ad Garamantas Augylasque ducentem; dein ad littus quod duas Syrtes interjacet reverti, et illius urbes percensere [1]. Quod quidem deverticulum, quod in Garamantas atque Augylas exit, non omissis nonnullarum mensurarum indiciis, non intelligi aliter potest nisi eo viam a minore Syrti in interiorem Libyam ducentem describi existimes. Quum vero Plinius paulo infra (V, 5), fateatur nullam, ætate sua, patuisse viam quæ ad Garamantas duceret, hanc profecto descriptionem ab aliquo antiquiore scriptore, Carthaginis temporibus degente, videlicet a Polybio sumpsit. Ea igitur maximi nobis momenti est, et diligenter jam recognoscenda :

« Et terra autem, siderum observatione, ad eam (minorem Syrtim) per deserta arenis perque serpentes iter est... »

His quidem verbis iter a Thenis ad Tacapen exprimitur. Errat tamen Plinius quum illi *semitæ* potius

Thenis-Cercinam : fac rem ita se habuisse, primam profecto sese obviam offert Cercinitis advenientibus. Crederes Plinium, Misenensis classis præfectum, Cercinam hoc itinere frumenti causa petivisse.

1. Parisiensem editionem (Parisiis, 1845, ed. Plon fratribus), non Germanicam (Sillig, 1851, Hamburgi et Gothæ, ed. Frid. et A. Perthes), in hoc loco secuti sumus. In hac enim legitur : « Augylæ ipsi medio fere spatio locantur ab Æthiopia quæ ad occidentem vergit et a regione quæ duas Syrtis interjacet pari utrinque intervallo, sed litore inter duas Syrtis CCL M. p. Ibi civitas Oeensis, Cinyps fluvius, etc. » Longe melior lectio Parisiensis : « Augylæ, etc., pari utrinque intervallo. Sed litore inter duas Syrtes CCL M. p. Ibi civitas Oeensis, etc. » Notandum est inter Sabratam, quem minoris Syrtis terminum esse Plinius putat, et Thebunte, ubi major Syrtis incipere videtur, CCXLVII M. p. ab *Itinerario Antonini* (p. 61-64) indicari.

quam *viæ* speciem induit; etenim secundum viam cujus mensura facta erat (v. cap. x) aliter profecto ac « siderum observatione » cursum dirigebant peregrinatores. Cetera autem prorsus vera sunt : ultra Thenas revera jam occurrebant et serpentes et solitudines ; Thenis, si Polybium recte simus interpretati (v. cap. x), Byzacium desinit.

« Excipiunt saltus repleti ferarum multitudine... » a Tacape profectus, hoc de monte Djebel-Douirat intelligas.

« Et introrsus elephantorum solitudines... » hoc est, credimus quidem, regio El-Hamra et pagus (*lioua*) cujus caput est Ghadames.

« Mox deserta vasta... » scilicet deserta quæ nunc Hamada-el-Hamra vocant atque arenosi tumuli Edeyen, quibus hæc plaga a meridie quasi prætexitur (v. Duveyrier, 15, 69).

« Ultraque Garamantas... » sic ad oppidum Ghât devenimus, quod, montis Ahaggar ad orientem situm, quasi mediterraneum emporium nunc esse neminem fugit, et quondam fuisse nos quidem suspicamur [1].

« Ab Augylis dierum XII itinere distantes... Augylæ ipsi medio fere spatio locantur ab Æthiopia, quæ ad occidentem vergit, et a regione quæ duas Syrtes interjacet, pari utrique intervallo... »

Plinii locus ille permagni nobis videtur; unumquodque enim expende verbum, animadverte Plinium adhuc in minore Syrti describenda detineri, necdum ad « littus inter duas Syrtes » pervenisse ; non est ut in illis Pli-

1. Ghât haud aliud esse atque oppidum Rapsam (de quo vide Plinium, V, 5), H. Duveyrier arbitratur. Quod nos quidem non ausimus asseverare. Hoc tantum nobis perspicuum est, ubi nunc Ghât exsistit, ibi quondam garamanticam urbem fuisse.

nii Augylis Herodoti τὸν Αὔγιλα χῶρον (IV, 172), scilicet vicinam Nasamonibus regionem agnoscas. Si vero memineris occidentalem Æthiopiam, de qua et ibi et alias copiosius (V, 1, 8; VI, 30, 31) Plinius scribit, Perorsorum, Pharuziorum regionem, scilicet occidentalem Sahara esse, eo sane perduceris ut locum æque a syrtica ora et a Pharuziis « Oceanum adtingentibus » (Plin., V, 8) distantem quæras. Invenies autem, sub monte Ahaggar (ubi in unum coeunt Igharghar flumen et Ouadi-Tedschert torrens, lacus (sebka) Amadghor emissarium), locum nomine Aghellagh, seu Aghellaschem, pari intervallo, scilicet sex millibus stadiorum, a Lebida et ab Igidi pago distantem [1]. Ibi sane, nostra sententia, Plinii Augylæ versabantur. Quare in oppido Ghât collocanda est Garamantica statio de qua supra agitur.

Ne multa, quæ apud Plinium, in quarto capite quinti libri, post minorem Syrtim leguntur, viæ cujusdam descriptionem esse arbitramur; imo, hanc priscam esse punicam viam, quæ, a minore Syrti discedens, primum ad oppidum Ghât, dein occidentem versus deflectens ad Aghellagh pertinebat [2].

Qua quidem via non jam peregrinatores, Plinio degente (hoc enim ipse declarat), utebantur; quin etiam, ne Ptolemæi quidem tempore ea patebat (Berlioux). Hujus sane viæ initium *Tabula Peutingeriana* exhibet, a

1. V. Stieler's hand-Atlas, 1873, nº 10, tabulam a doctissimo viro A. Petermann descriptam.

2. Insuper Plinius addit : « super illos (Garamantas) fuere gens Psylli, super quos lacus Lycomedis, desertis circumdatus... » Eum in scriptura locum hæc verba obtinent, ut Psyllos illos, longe quidem ab Herodoti Psyllis diversos, vel inter Garamantas Augylasque, scilicet itner Ghât et Aghellagh, vel ad meridiem oppidi Ghât quærendos æstimemus. Qui vero sint Psylli illi, Lycomedis lacus ille, alii viderint. Utcumque erit, nihil hoc ad rem nostram refert.

Tacape proficiscentis, lapidibusque usque ad quartam tantum stationem instructæ, et jam a septima interruptæ, id est in deserta evanescentis.

II. — Via ad littus inter duas Syrtes pertinens. — Perantiqua profecto ea erat; quum enim tractus hujus tres præcipuæ urbes, Sabrata, Oea, Leptis, a veterrimis temporibus floruerint, hanc regionem cum australibus plagis amplas atque assiduas mercaturas fecisse credendum est. Plerumque Leptim, at forsan quoque Oeam, vel etiam Sabratam conveniebant a Garamantum partibus mercatores : unde illarum urbium simultates. Hanc viam novit Plinius, at non ita pridem : quam quidem romanæ cohortes, quum pro Leptitanis adversus Oeenses, Garamantum opibus subnixos, dimicarent, paucis ante annis repererant (Plin., V., 5; cf. Tacit., *Histor.*, IV, 50), his verbis *(præter caput saxi)* designatam haud dubie propter primas montis Djebel-Ghourian fauces. Quam sequentibus, ait Plinius, « compendium viæ quatridui deprehensum est ». Ad quam vero aliam viam hoc compendium respicit? Nempe ad eam quam paulo supra in eodem capite Plinius descripsit, quamque nosmet ipsi mox sumus consideraturi (viam orientalem).

Hanc igitur viam (*præter caput saxi*) ex Plinio describere nequimus, novissime illius ætate notam, ideoque nondum vere patentem. Quare ad Ptolemæum confugiendum est [1]. Via primum, ut videtur, montem Djebel-Ghourian attingebat, tum per alta procurrens, trans Mizda et Gharia-el-Gharbia (Barth, *Reisen*, etc.,

1. V. Berlioux, opera supra laudata; cf. Albrecht Roscher, *Ptolemæus und die Handelsstrassen in Central-Africa*. Gotha, 1857.

I, 130), in oppidum Djerma (Γέλανος, Berlioux) evadebat. Ibi via sese in ambas findebat, quarum altera, ad occidentem vergens, per Tellizahren (Barth, *Reisen*, I, 207-217) transiens, demum apud lacum Sebka Amadghor (Ptolemæi Σικκαθόριον, Berlioux), inter occidentales Garamantas desinebat; altera autem, ut credimus, ad montem Tibesti tendebat, sive per Anaï (Duveyrier, 221, 458; Ptolemæi Οὐανίας ?) sive directo per fauces El-Ouahr.

Secundo jam a sæculo P. C. hanc exstitisse viam constat. Num vero credendum est, Plinii ex auctoritate, eam non ante Vespasianum principem fuisse inventam ? Nonne potius tunc a Romanis reperta fuit ? Plinius ipse nuper quanto spatio ab ora syrtica Aghellagh distaret notavit; quod quidem, ut nobis visum est, ab antiquiore aliquo scriptore sumpserat. Hoc profecto significat a littore inter duas Syrtes ad commercia montis Ahaggar celebratissimam olim viam fuisse, quæ postea, eversa Carthagine, usque ad Flavios vel prorsus clausa vel Romanis ignota permansisset.

III. — Via ad majorem Syrtim pertinens. — Aliam antiquam viam fuisse, a Garamantum orientalium partibus, scilicet a Tibesti, trans Ouaou-el-Namous et Sella ad internum mare ducentem, hodie quidem non ambigitur (Berlioux, Rohlfs).

Hujus vero in internum mare exitus pro temporibus videtur mutatus esse.

Primum quidem eam conjicimus, Tyriorum emporiorum tempore, ab urbe Sella, præter ripam fluminis Oued-ech-Chegga, in urbe Hippouacra (Ras Bergaouad), ferme in intimo majoris Syrtis sinu, finem habuisse. Sed hoc Carthago consecuta est ut hunc exitum plura per sæcula omnino clauderet (v. infra, cap. VII).

Postea vero, tum quum Ptolemæi Cyrenaïcam obtinuerunt, via rursus patuit, ita vero ut a Sella Cyrenas peteret.

Hanc quidem viam a Cyrenis ad Garamantas orientales tendentem fuisse testatur Plinius (VI, 33). Quam Agrippa in *Orbe picto* descripserat, DCCCCX millibus longam [1].

Anno enim 16 vel 15 A. C. incœptus est *Orbis pictus ;* vicesimo autem A. C. anno (734 ab Urbe condita, v. *Acta triumphórum capitolina,* C. I. L. t. I, p. 461) Garamantas attigerat et debellaverat Cornelius Balbus ; unde conjicere licet hanc Agrippæ descriptionem, quæ Romæ res nova, ut e Plinii verbis apparet, visa est, auctore Balbo delineatam fuisse. Si hoc placet, sequitur a Cyrenis Cornelium Balbum in Garamantas exercitum movisse. At profecto non temere et negligenter a Cyrenis proconsul discessit, ut ignotas in terras se abstruderet ; sane urbem hanc sedem ad consilia exsequenda ideo habuit, quod ex hac in Garamantas, « qua noscebantur, » jam nota et celebrata via tenderet.

Hanc Agrippæ viam ab itinere Cornelii Balbi non differre quum jam satis verisimiliter conjecerimus, inspecto Plinii de Cyrenaïca capite (V, 5), magis adhuc persuasum habebimus :

Quartum enim caput, quo modo contextum sit, memoria repetamus : Plinius, ab occidente ad orientem progrediens, Africæ oram describit, minoremque Syrtim devenit ; ibi cessat, ut locorum seriem enumeret, ad Ga-

1. « Latitudo Africæ, qua colitur, nusquam ducenta quinquaginta millia passuum excedit *(ea ést vere Africæ latitudo, a promontorio Ras-el-Abiad ad Tacapensem isthmum)*; sed quoniam a Cyrenaïca ejus parte nonagentorum decem millia passuum eam fecit Agrippa, deserta ejus ad Garamantas usque, qua noscebantur, complectens..... » (Plin., VI, 33).

ramantas occidentales ducentem, donec rursus ad littus inter duas Syrtes et ad majorem Syrtim redeat; quo quidem excursu priscum iter a Tacape ad montem Ahaggar indicari demonstravimus.

Nunc similiter, in quinto capite, Cyrenaïcæ oram Plinius legit ac depingit; tum inchoatam narrationem abrumpit ut alteram locorum seriem commemoret, ad ipsum Garamam oppidum pertinentem; dein rursus, in sequenti capite, littus inter Cyrenaïcam et Ægyptum describit. Hoc altero excursu, similiter quoddam a Cyrenis ad Garamam (Tibesti) iter indicari suspicamur.

Eam vero digressionem, qua ad Garamam ducimur, excipiunt laudes Cornelii Balbi actique de Garamantibus triumphi. Quapropter teneri non possumus quin hanc locorum et gentium relationem tanquam Romani ducis ipsum iter ducamus; ex quo rursus perspicuum est eum a Cyrenis profectum esse. Intelligere aliter qui possimus Balbi laudem in capite ad Cyrenaïcam pertinente Plinium inseruisse?

Ea igitur nobis sententia est : iter a Cyrenis ad Garamam in quinto capite quinti libri Plinium descripsisse; hanc eamdem viam, libri sexti in capite tertio tricesimo, DCCCCX millibus longam et in Agrippæ porticu delineatam, eumdem commemorasse; hanc præterea Cornelium Balbum, anno 20 A. C., emensum fuisse, unde colligi potest eam, si non vulgo celebratam, at satis notam fuisse (« qua noscebantur »); denique hanc viam, quam quinto A. C. sæculo Herodotus nescierit (IV, 174), primo autem Agrippa depinxerit, mediis his ætatibus inventam fuisse, ac satis verisimiliter hoc evenisse quo tempore Ptolemæis principibus Cyrenæ regnarentur.

Ceterum romani ducis iter pone sequi, Plinio auctore, non aggrediemur, quod minime ad rem nostram perti-

net. Hoc tantum dicemus eum a Cyrenis profectum esse; dein a parte inter septentrionem et orientem sita ad eam quæ inter meridiem et occidentem spectat procedentem, montes tum Haroudj-el-Asuad tum Haroudj-el-Abiad superavisse, usque ad Phazaniam (Fezzan) pervenisse, et inde in Garamam oppidum, caput Garamantum, perrexisse. Ita, inter Sellam Garamamque, ob causas quæ nos fugiunt, magnam viam per Ouaou-el-Namous transientem, a doctissimis viris Rohlfs et Berlioux designatam, Balbus non secutus est. At intra Cyrenas et Sellam [1], per Plinii indicia, optime tabulis geographicis probata, ad hoc ducimur ut recta prope via Balbum iter fecisse arbitremur, qua et mercatores uti, jam a Ptolemæorum tempore, assueverint.

At nec Augusto nec qui primi post eum venerunt principibus contigit ut semitam illam in justam viam converterent (« iter inexplicabile adhuc fuit, » Plin., V, 5). Posterius vero hæc via e Garamantum orientalium partibus oriunda, Sella oppido transito, non jam ad orientem scilicet ad Cyrenas, sed occidentem versus, ad Leptim majorem, per Bondjem (*Lyon's Travels*, p. 65-66) et Ghirsa (Γέρεισα Ptolemæi) deflexit. Quod quidem iter, secundo P. C. seculo, quo tempore Leptis maxime florere cœpit, mercatores celebrabant, ut ex Ptolemæo satis compertum est. At non est quod ibi de eo agamus.

In summa arbitramur magnam hanc ex orientalium Garamantum partibus ad internum mare viam, a Garama, id est a monte Tibesti profectam, per Ouaou-el-Namous ad Sellam accessisse; inde autem ad emporium

1. Aut prope Sellam; his enim rebus contenti quas summatim posuimus, non committemus ut eas, Plinium angustius quam decet prementes, deformemus.

Hippou-Acra scilicet ad majorem Syrtim, fluminis Oued-ech-Chegga per vallem, primitus pervenisse; posterius, propter causas quas infra attingemus (v. cap. VII), a Sella ad Cyrenas, Ptolemæorum tempore, deflexisse, quam Augusti ætate Romani primum noverint; posterius rursum, post Plinium, ad occidentem, a Sella ad Leptim, declinatam fuisse; hanc sane novissimam viam a Lepti ad montem Tibesti tendentem Ptolemæus notavit; hanc romanis milliariis, vel inter Ouaou-el-Namous et Garamam, instructam fuisse ex epistola strenui peregrinatoris G. Rohlfs hodie constat [1].

Eæ sunt tres præcipuæ viæ inter Garamantas et mare Syrticum de quibus aliqua apud veteres scriptores invenimus; quæ profecto tribus magnis hujus maris partibus, scilicet minori Syrti, littori inter Syrtes, majori Syrti respondent. Ceterum, longe absit ut nullas exstitisse alias contendamus : haud dubie plura, ex his tribus præcipuis oriunda, seu apud ipsos Garamantas, seu in propinquo maris, divortia itinerum erant. Necnon et transversas fuisse vias, ab oriente ad occidentem tendentes, credendum est; quas inter adscribendæ sunt et ea quam Herodotus depinxit (IV, 181-185) et illa altera, ab Ægypto ad flumen Djoliba porrecta, cujus vestigiis legendis Lugdunensis geographus Berlioux diligenter operam dedit [2]. Hæ vero ad rem ipsam nostram non pertinent. Hoc enim solum nostri erat propositi ut eas a meridie ad septentrionem vias indicaremus quæ veterum testimoniis ante ætatem Augusti declarantur. Has tres præcipuas vias modo concedas punicis temporibus exsti-

1. *Les anciennes explorations et les futures découvertes de l'Afrique Centrale,* par E. F. Berlioux. Lyon, 1879, p. 4.

2. *Les anciennes explorations*, etc., p. 14.

tisse, satis erit ad ea intelligenda quæ inde sequentur.

Haud equidem affirmamus tales omnino et ab omni parte has fuisse vias, quales modo descripsimus. Aut hoc, aut illud per novas peregrinatorum investigationes, omnibus argumentis et rationibus multo graviores, mutandum erit; at certe de tribus nostris præcipuis viis minime ambigi potest, quippe quæ et ipsi locorum conformationi respondeant et veterum scriptorum consensu confirmentur

---

CAPUT SEPTIMUM

QUA RATIONE SITA VERSUS ORIENTEM EMPORIA CARTHAGO HABUERIT ATQUE ADMINISTRAVERIT

CAPUT SEPTIMUM

QUA RATIONE SITA VERSUS ORIENTEM EMPORIA CARTHAGO HABUERIT ATQUE ADMINISTRAVERIT

Pœni, ex quo illa emporia obtinuerunt ubi tanta commercia cum tanto quæstu fiebant, id sibi profecto proposuerunt ut ab iis externos arcerent navigatores. Ad hoc, permagni intererat numerum illorum imminuere, ita ut e pluribus in quædam præcipua coloni ac mercatores contraherentur.

Adde quod hæc portuum longa, ut ita dicamus, acies dextro cornu Cyrenaïcam attingeret, Cretæ ac Peloponneso quam ipsi Carthagini propior; fieri igitur non potuit quin Carthago hanc ad occidentem retrahere et quasi sub manu sua ponere niteretur.

Denique præter oram præcipue minoris Syrtis punicas colonias insedisse demonstravimus. Quare ne mireris Carthaginem occiduis emporiis favisse, magno cum detrimento eorum quæ ad orientem jacebant.

Huic rationi auxiliantur quæ apud veteres scriptores, rariora quidem, occurrunt indicia.

Majoris Syrtis in intimo recessu gens erat quondam, Psylli nomine, Ψύλλοι, cujus in agro præcipua priorum Phænicum emporia florebant (Hippou-Acra, Opiros, Charax, Euphrantas Turris, Dysopos, Aspis, etc.);

tractum omnem qui a flumine Oued-ech-Chegga ad flumen Oued-Bei patet ea obtinebat. Intus arentes ad MC stadia ab oriente ad occasum extenduntur solitudines, quibus anno 308 A. C. Ophellæ Cyrenensis exercitus haud multum abfuit quin absumeretur (v. cap. XII.) et quas intra septimum diem Cato superavit (Plut., *Cat. vit.*, c. LXIV). Ab illo littore jam quinto A. C. seculo Psylli fuerant exterminati, atque in interiora Libyæ, quum per has proximas solitudines nullus consistendi locus esset, confugerant. Libyca de iis fabula quam excepit Herodotus (IV, 173) vult eos prorsus de medio sublatos fuisse (ἐξαπολώλασι); huic autem nullam profecto fidem adhibet noster (Νασαμῶσι προσόμουροί εἰσι). Ad australem suarum solitudinum marginem nempe constiterunt, ibique permanentes, Catonis duces itineris fuerunt. Inter majorem Syrtim Garamantumque regionem Strabo eos ponit (XVII, III, 23), id est ad Sellam, quæ ipsum eorum nomen hodie retinet. Et Plinii tempore (VII, 2) adhuc reperiuntur. Posterius autem, Nasamonibus, eorum in locum qui præter littus successerant, Romanorum vi ad internecionem cæsis vel potius, vice sua, in desertum fugatis (anno 86 p. C.), suam ad mare sedem Psylli receperunt (*Tabula Peutingeriana :* Natio Selorum, Macomades Selorum, Digdida municipium Selorum. — Cf. Mannert-Marcus, p. 194).

Qui igitur, longe ante Herodotum, quando vera jam in fabulas illo degente mutata erant, Psyllos depulerant? Nasamones, ut videtur Plinio (VII, 2), quos quidem in locum Psyllorum successisse plane compertum habemus (v. Herodotum, Scylacem, et omnes antiquos scriptores). At Pœni sane Nasamonibus adversus Psyllos facti auctores fuerunt, ut Macis adversus Græcos ad Cinyphem appulsos. Et ceterum attendas, quæso, Pœnis Nasamo-

nes semper socios fuisse; et eo ipso quod majorem Syrtim gens illa prædonum ac piratarum insedisset, ab illo tractu multa per secula mercatores viam avertisse, ideoque orientali viæ quæ a Garamantibus ad majorem Syrtim olim tendebat nullum deinceps, magno quidem cum commodo Carthaginiensium, fuisse exitum. Quæ intuenti veniat in mentem veteris adagii : « Is fecit cui prodest. »

Nec profecto, si Nasamonibus Pœnos, ut Psylli exterminarentur, opem tulisse asseveramus, falsum illis crimen temere inferre videbimur : « Phænices, inquit vetus auctor Eusebius, tum suam ditionem ita regebant ut neminem commercii gratia huc penetrare sinerent, tum agros finitimarum gentium ultro vastabant, ac semper ad id intenti erant ut illarum urbes aut opprimerent aut invaderent. » (Ap. Movers, II, 39.) Ceterum, fac Carthaginem rei minime participem fuisse : at certe fructus ex ea percepit, quum Nasamones, qui æstivis tempestatibus usque ad Audjelah ascendebant (Herod., IV, 172), omnem Garamantibus usum non modo cum majoris Syrtis emporiis, verum etiam cum Cyrenis sustulerint : « Γαράμαντες οἳ πάντα ἄνθρωπον φεύγουσι καὶ παντὸς ὁμιλίην » (IV, 174). Hoc sane apud Cyrenenses vulgatum Herodotus audivit, qui paulo posterius viam quæ ab Ægypto ad Garamantas tendebat describet, et infra alteram, quæ a Garamantibus ad Lotophagos, referet. Præterea perspicuum est hunc rerum statum antiquitus initium habuisse, utique ante Cyrenas conditas, quum Herodotus facti comperti causas explicare nequeat.

Quum ita intercluderetur præcipua orientalis via, non fieri non poterat quin dilaberentur majoris Syrtis emporia; et quum præterea Nasamones mare infestarent, circumvectionis commercium omne interclusum est.

Jam enim ostendemus (v. appendicem A) Scylacem ab Hesperidibus tenore uno Leptim petiisse, nec sinus oram legisse. Quam interpretationem etiamsi respuas, agnosces tamen in hoc littore, quo Ptolemæi ætate decem aut duodecim portus exsistent, nullum quidem a Scylace, IV° A. C. sæculo, referri.

Majoris Syrtis emporia Pœnos pessumdedisse quum contendamus, unum tamen, Characem scilicet, exceptandum censemus; hoc enim emporium servaverunt, idque ex proposito quodam, quod nobis Strabo aperit : « τόπος Χάραξ καλούμενος, ᾧ ἐμπορίῳ ἐχρῶντο Καρχηδονίοι, κομίζοντες οἶνον, ἀντιφορτιζόμενοι δὲ ὀπὸν καὶ σίλφιον παρὰ τῶν ἐκ Κυρήνης λάθρα παρακομιζόντων..... » (XVII, III, 20.)

Heeren (IV, 59, 167) et quamplures, imo omnes post hunc historici male hunc locum explanavisse nobis videntur, quasi de maritimo quodam occulto atque illicito commercio inter punica emporia portusque Cyrenensium ageretur. Qua quidem sententia nos longe abhorremus :

Primum omnium notemus Characem in ea ora fuisse situm unde a Nasamonibus, Pœnorum sociis, Psylli depulsi fuissent ;

Tum inquiramus, non quid esset silphium africanum [1], sed unde pararetur : in ipsa quidem Cyrenaïca, Herodoti ætate (IV, 169), nascebatur silphium « a Platea ad Syrtis initium ». In dies vero magis quum absumeretur, mox usque ad solstitialis circuli regionem exquirendum fuit (v. Plinium et Strabonem, e Posidonio, passim). Silphium tamen ceteris populis fere soli usque ad finem suppeditasse videntur Cyrenenses (L. Müller, *Numism.,* II), idque, etiam quum in proprio agro jam non

1. « Le *silphium* cyrénéen n'est pas encore découvert. » L. Müller, *Supplém.,* p. 18.

demeterent, ex australibus partibus deprompsisse, quod omnibus gentibus venditarent. Utique constat intra ipsius Cyrenaïcæ fines, a quinto seculo ad tertium, abunde repertum silphium fuisse.

Ab ipsis autem Cyrenensibus maritima navigatione usque Characem clam et contra vetitum transvectum fuisse minime credimus. Pœni enim, auctore Strabone, « silphio vinum mutabant » ; at vitibus adeo ferax Cyrenaïca (Herod., IV, 199 ; cf. Thrige, p. 300), quæ primos inter deos Bacchum reponeret (Thrige, p. 289) ! Cyrenensibus igitur quid causæ fuisset cur Characem, vini parandi gratia, venissent ? Quidquod Cyrenenses illi, Græci scilicet, nec spernendi in commerciis agendis veteratores, silphium suum, cujus pretium eos minime fallebat, vino mutavissent ? Cur denique, si ipsi Cyrenenses cum Pœnis egissent, furtim res fuisset tractata ? Quia, inquit Heeren, tanta silphio portoria Carthago imponebat, ut hoc latenter importare, insciente Carthagine, plurimum Emporiis expedierit. At profecto non insciente Carthagine (ᾧ ἐμπορίῳ ἐχρῶντο Καρχηδόνιοι) Characem silphium inferebatur ! Præterea Carthaginienses minime latuisse hanc mercaturam satis constat, quum ab ipsa Carthagine Athenas silphium importaretur (« καυλὸν ἐκ Καρχηδόνος καί σίλφιον », ait comicus quidam atheniensis, seu Eubulus, ut vult Pollux, VI, 10, seu Antiphanes, ut Athenæo placet, I, 56). — Contra autem num credendum est, Cyrenis gravia portoria evehendo silphio imponentibus [1], Cyrenenses quosdam, ut ex illicito commer-

1. Doctissimus vir E. Caillemer acute conjecit *(Revue critique d'histoire et de littérature,* 1872, t. XI, p. 171) hæc portoria evehendis mercibus imposita cum taxationibus quibusdam a regibus Ptolemæis institutis certaque vice pensatis inhæsisse. At priorum Ptolemæorum Characem fuisse infra videbimus (cap. XII).

cio fertilissimos quæstus perciperent, hoc Characem clam Cyrenis exportare fuisse solitos? At quæ causa est cur arbitremur Cyrenas nimio vectigalium onere impedivisse quominus res minime civibus necessaria et quam optime venditanda exportaretur?

Quod si vero animadvertamus Characem, ut jam diximus, in ora quam Nasamones tenebant situm fuisse; Nasamones autem Pœnorum fuisse socios et ad orientem usque ad australes Cyrenaïcæ fines pertinuisse, nobis longe alia, ac veri quidem simillima, explanatio occurret : scilicet Nasamones, barbaros prædones, Carthagini quodammodo obnoxios, silphium e Cyrenaïco agro ereptum Characem clam Cyrenis intulisse, vinumque iis a Carthaginiensibus fuisse retributum, cujus hi Nomades, quo magis egeni, eo magis appetentes erant. Ceterum in Strabone paulo infra videbimus *barbaros, Nomades* quosdam Cyrenaïcæ laserpitiferam in regionem irrupisse, ut istius herbæ vel radicem exciderent unde prope modum illa defecerit : « Ἐγγὺς δ' ἦλθε τοῦ ἐκλιπεῖν, ἐπελθόντων τῶν βαρβάρων κατὰ ἔχθραν τινὰ καὶ φθειράντων τὰς ῥίζας τοῦ φυτοῦ · εἰσὶ δὲ Νομάδες..... » (XVII, III, 22). Pœnis amici erant Nasamones, ergo Cyrenensibus Græcis infesti : inde odium (ἔχθρα); at sævitiam in vastando Cyrenensium agro jam satis illustrat qua mercede subreptum silphium in Charace mutare soliti fuissent; et radices evellebant, qui barbaris celerrimus est metendi modus (*Esprit des lois,* V, 13); ceterum tanti æstimari radicem quanti ipsam herbam docet Plinius (XIX, III, 15; XXII, XXIII, 48).

At enim hæc verba : ἐκ Κυρήνης, urbem ipsam Cyrenas, non Cyrenaïcam designant. — Negamus, quum alias Strabo (II, v, 38.) Βαβυλῶνος pro Βαβυλωνίας scripserit et C. Müllerus animadvertat (*Index variæ lectionis,*

p. 951, col 1) hunc dicendi modum sæpenumero usurpari. In alio quodam Strabonis loco (III, ɪv, 3) totam quoque Cyrenaïcam Κυρήνη significat (cf. T. L., XXXIV, 62 : « Circa Cyrenas »).

Cum emporiis vero quæ inter flumen Oued Bei et promontorium Mezrata exsisterent quid egerit Carthago nihil compertum habemus. Sed non est cur arbitremur portus magno illi Syrtico stagno quod supra jam descripsimus (v. cap. ɪ, p. 36) adjacentes vel sublatos a Pœnis vel modo destitutos fuisse : a Cyrenis enim jam satis distabant ; præterea ab externis per reciprocos æstus (v. *Peutingerianam Tabulam)* nonnihil defendebantur; denique Pœnis aliquo usu esse poterant, seu cum Macis, fortibus ac fidis sociis, mercaturas illi facerent, seu ab oriente ad occidentem commeatus retrahere placeret, quibus iter ad Hippou-Acram et Cyrenas Nasamones præcludebant. Mera quidem conjectura, fatemur ; sed non contra fidem. Quicquid id est, hos portus prætervectus esse Scylax non videtur.

Nunc, promontorio *Cephalæ* superato, Leptim accedimus, magnam Libyphœnicum civitatem, cujus prisci annales nobis tenebræ sunt, quæ vero Pœnis invita socia, tum male parens, tum sæpius male mulcata plerumque fuisse existimanda est. Ea erat Leptis quæ cum Carthagine in commerciis agendis æmularetur ; a Pœnis igitur, ne id accideret, pluribus quidem modis cautum est :

Primum omnium, vix in dubio est quin Lepti antiquitus portus fuerit (Beechey, Barth, C. Müller, Movers). Nullus tamen, mirum profecto ! nullus antiquitatis scriptor de eo ne verbum quidem facit. Eum subiisse minime quidem Scylax videtur (v. appendicem A);

etsi certe anchoras haud procul jecerit. Pariter Sallustius, Livius, Strabo, Pomponius Mela, Plinius, Ptolemæus, et majorem Leptim referunt, et dignitatem civitatis declarant, at de illius portu et maritimo commercio obmutescunt. Quin imo Stadiasmus, postquam « Neapolis » aditum descripsit, gravia hæc addit : « Λιμένα οὐκ ἔχει· ἀσφαλῶς ὁρμίζου ἐπὶ τοῦ Ἑρμαίου..... » (§ 93).

Quem nodum ut expediret, conjecit Moversius (II, 488) suo ipsis Leptitanis portu, jubentibus Pœnis, interdictum fuisse, vel portum a Pœnis obstructum fuisse (« unbrauchbar ») ; Pœni scilicet, ut opinamur, Leptis portum arenis obruerunt, haud secus ac in medio ævo Pisæ Genuenses. Harum conjecturarum prior magis placet. Pluris enim Carthaginiensium intererat Leptis portum servare, dummodo eo soli uterentur. Eam legem Salamini, græcæ civitati, in insula Cypro Phœnices dixerant [1]. Haud secus quum hinc Romani ab omnibus Syrtici maris portibus prohiberentur, ut infra videre erit (v. cap. VIII), illinc autem Leptis portum Scylax non introierit, ut supra dictum est, conjectare profecto licet huic urbi eam legem quam hodie « blocus fictif » gallice vocamus a Pœnis impositam fuisse, scilicet portum et externis et Leptitanis ipsis præclusum fuisse ; cui rationi nec pauca quæ comperta habemus documenta nec notæ Phœnicum artes repugnant (Euseb., loco citato).

1. Isocrate, Evagoras, c. 47 : « Παραλαβὼν [Εὐαγόρας] γὰρ τὴν πόλιν [Σαλαμῖνα] ἐκβεβαρβαρωμένην, καὶ διὰ τὴν τῶν Φοινίκων ἀρχὴν οὔτε τοὺς Ἕλληνας προσδεχομένην, οὔτε τέχνας ἐπισταμένην οὔτ' ἐμπορίῳ χρωμένην, οὔτε λιμένα κεκτημένην, ταῦτά τε πάντα διώρθωσε, καὶ πρὸς τούτοις καὶ χώραν πολλὴν προσεκτήσατο, καὶ τείχη προσπεριεβάλετο καὶ τριήρεις ἐναυπηγήσατο..... » (Ed. Didot, 1846.)

Nil vero ultra progredi refert; natura sane, post eversam Carthaginem, credimus, arenæ portum obruerunt, quem nunc omnino (Beechey, p. 52).

Carthaginiensibus vero hoc fuisse propositum, ut nullum circa Leptim emporium quo externi commearent exsisteret, res minime dubia : Græcos enim colonos postquam Cinyphe anno 517 depulissent, erat ut ipsis placeret colonos in desertam urbem deducere; nam locus opportunus : secundum fluminis ostium, et insula adversa, et fertilis ager (Scylax, Herodotus) prorsus idoneum situm condendo emporio præbebant. At Cinyps, quum a Lepti LXXX aut XC stadiis tantum abesset, huic civitati forsan pro portu fuisset; portum igitur Lepti suppeditare Carthago noluit, et duobus post sæculis, Scylacis ætate, semper deserta urbs exsistebat, punicarum artium insigne documentum : « ἔστι δὲ ἔρημος » (Scylax).

Ad summam, in syrtico littore quod promontorium *Cephalæ* et Gapharam interjacet, externis nautis Leptis præcludebatur, desertum manebat Cinyphis emporium, nullus in cetera ora portus [1]. His ita constitutis, duo tantum emporia, in hoc tractu, mercatoribus per deserta ab australibus partibus advectis patebant : hinc

1. « Εἰσὶ δὲ καὶ ἀλίμενοί τινες ἐνταῦθα τόποι (Strab., XVII, III, 18). Hoc vero mirum punicum opus quod inter Cinyphem fluvium et promontorium *Cephalæ* refert Strabo (« διατείχισμά τι ὃ ἐποίησαν Καρχηδόνιοι, γεφυροῦντες βάραθρά τινα εἰς τὴν χώραν ἀνέχοντα. » *Ibid.*), si verba auctoris attente inspiciamus, non concedemus idem esse atque opus illud quod, ad ipsas Cinyphis ripas situm, viderunt ac descripserunt et Beechey (p. 62) et Barthius (p. 317-318).

Illud autem διατείχισμα, non ad Cinyphem, sed inter Cinyphem (Oued-el-Quaam) et promontorium Mezrata, et præter ipsum littus (quum ea Strabonis descriptio vere periplus sit), forsan peregrinatores olim reperient.

Leptis, ubi eos Carthaginienses excipiebant negotiatores, illinc Gaphara oppidum, a quo punicus ager (χώρα) jam oriebatur.

CAPUT OCTAVUM

EXTERNOS A SYRTICIS EMPORIIS AD OCCASUM VERGENTIBUS POENI PROHIBENT

CAPUT OCTAVUM

EXTERNOS A SYRTICIS EMPORIIS AD OCCASUM VERGENTIBUS PŒNI PROHIBENT

Nunc vero de illis quæ vergunt ad occidentem Emporiis disserendum est et ante omnia explanandum quam diligenter et assidue caverint Carthaginienses ne alienigenæ, ne barbari ea possent unquam, ut ita dicamus, violare.

Nautas quidem ab Eois regionibus advectos, Cyrenæos scilicet et Græcos et Ægyptios et Phœnices, difficillimum erat omni aditu in quemque maris syrtici portum excludere. Irritum fuisset ac pæne ridiculum ut quodlibet navigium Rhodo vel Cyrene profectum recta, mediis stationibus neglectis, ad Carthaginis ostium pergeret. Si vero Scylacem recte simus interpretati [1], sequetur populis qui ab Oriente navigabant, et urbe secundum Leptim in mari Syrtico præcipua, Oea scilicet, et minore Syrti tota, inter Meningem et Cercinam inclusa, et illa maritima Byzacii ora quæ hinc Cercina, illinc Thapso continetur, fuisse interdictum ; civitates vero Libyphœnicum in ea parte Byzacii sitas quæ spectat ad septentrionem, Thapsum dicimus et Hadrumetum et Leptim

1. V. appendicem A.

minorem, iisdem patuisse, quippe quæ et ab australibus viis satis distarent et Carthagini propius adjacerent quam ut earum omnis mercatura aliunde posset manare aut alio atque in Metropolim refluere; Carthaginem vero sibi proprium servasse ac dicasse quoddam emporium, et idem his urbibus proximum, in angustissima parte situm peninsulæ quæ mari Syrtico sinum « punicum » dividit, Neapolin scilicet, unde per viam bene munitam ad sinum « punicum » tendebatur. Quid plura? Pœnos dixerimus, nisi vellent omni cum Eois gentibus commercio carere, optimam et callidissimam rationem adhibuisse, qua ex « *Emporiis* » omnino illæ excluderentur. In Meningem et Cercinam ideo tantum dabatur aditus quod necesse erat Carthaginem petentibus in has stationes deferri; neque melius alienigenis Syrti minore interdici poterat quam si in regione ei proxima retinerentur. Qua vero de causa Abrotonum et Tarichiæ potissimum paterent, dijudicare nobis in promptu non fuit.

At cum mercatoribus ab occidente profectis liberius etiam et audacius agebant Carthaginienses. Quum enim et Massiliensibus et Etruscis et Romanis nullo modo opus esset in mare Syrticum penetrare ut in portu ipso Carthaginis mercaturam facerent, hoc mari fuerat illis penitus interdictum. Romanos certe inde fuisse omnino exterminatos probant ac testantur gravissima illa quæ nobis tradidit Polybius monumenta [1], necnon et commentarii quibus ipse ea ornavit atque illustravit.

1. V. Wende, *Ueber die zwischen Rom und Carthago vor Ausbruch des ersten punischen Krieges abgeschlossenen Vertræge.* Bonn, 1876. Cf. Sainte-Croix, *Remarques sur les deux premiers traités conclus entre les Romains et les Carthaginois, Mémoires de l'Académie des Inscriptions,* t. XLVI, 1793. V. præsertim Heynii præcellentissimas duo com-

Anno A. C. 509 (Polyb., III, 22), fœdus ictum est a Romanis Pœnisque, sed ita ut ambæ civitates quædam sibi invicem concederent, quædam alia inviderent. Romani quidem non de se tantum pacti sunt, sed et de Ardea, Antio, Laurento, Circeiis, Terracina, et omni ea parte Latii quam sui juris habebant, « ὅσοι ἂν ὑπήκοοι..... » Dicit Polybius ὑπήκοοι (Cf. VII, 9) de sociis qui sunt in ditione; idem significat σύμμαχοι, qua voce infra noster utitur. Carthago quidem ὑπηκόους habet Libyphœnicum civitates, Roma vero Latinas.

Primo communiter de amicitia inter utramque gentem et uniuscujusque socios jungenda convenit, hisce quidem conditionibus :

1° Μὴ πλεῖν Ῥωμαίους μήτε τοὺς Ῥωμαίων συμμάχους ἐπεκεινα τοῦ Καλοῦ ἀκρωτηρίου.....

Polybius vero nos edocet quis situs sit illius Pulchri promontorii, « quod ipsi Carthagini præjacet et septentriones spectat ».

Haud nescimus quosdam fuisse, nec spernendos eruditos, qui regionis descriptionem prætendentes subtiliorem et freti auctoritate Livii (XXIX, 27) de qua infra (v. appendicem B) disputabimus, Pulchrum promontorium nunc esse Ras Sidi Ali (Farina) contenderint ; at, si ita sit, ad ipsam Carthaginem cursum dirigere Romani non potuissent! Pulchrum promontorium nihil aliud est, in hoc loco Polybii certe, nisi promontorium quod veteres Hermæum, Bon vero aut Ras Adar recentiores dixerunt [1]. Quo igitur consilio vetabant navigare « ἐπέκεινα τοῦ Καλοῦ ἀκρωτηρίου » Romanos Carthaginienses? Cen-

mentationes (Opuscula Academica, Gottingæ, volumen III, p. 39-78 : *Fœdera Carthaginiensium cum Romanis super navigatione et mercatura facta*).

1. Pro nobis stant Heeren, IV, 338; d'Anville; Heyne (op. cit., p. 47); Niebuhr, *Hist. Rom.*, I, 593. — Redarguit Sainte-Croix (op. cit.).

set Duruy (I, 130) illis in animo fuisse Romanos aditu in Ægyptum excludere. Haud ita quidem arbitramur, nec dicit Polybius Romanis eo freto interdictum fuisse quo Sicilia dividitur ab Africa. At vetitum erat, ne dicam nefas, Romanos hoc mare intimum penetrare cujus aditum et Cosyros et Lampas et Melita obsidebant, hoc Syrticum mare quod suum ipsius esse Carthago ducebat ac prædicabat; iter ad meridiem tendere, ὡς πρὸς μεσημβρίαν, ut ait Polybius in lucida interpretatione, atque in ea *Emporia* opulentissima vel clanculum irrepere, quo affluebant et redundabant omnes Africæ interioris merces, ubi sola per se ipsa Carthago dominabatur : διὰ τὸ μὴ βούλεσθαι γινώσκειν αὐτοὺς, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, μήτε τοὺς κατὰ τὴν Βυσσάτιν, μήτε τοὺς κατὰ τὴν μικρὰν Σύρτιν τόπους, ἃ δὴ καλοῦσιν Ἐμπορεῖα, διὰ τὴν ἀρετὴν τῆς χώρας [1] ....., a Polybio scriptum aperte est et diserte explicatum. Hic est animadvertendum eum discrevisse Byzacii littus eo quod minor Syrtis alluit littore, quippe qui Byzacium Thenis claudi censeat (v. infra, cap. x); extrema autem verba, scilicet διὰ τὴν ἀρετὴν τῆς χώρας, pertinere non ad καλοῦσι sed ad βούλεσθαι γινώσκειν. Illa χώρα tam læta, tam opima, quam Romanos celandos esse perpetuo Pœni decreverant, ea potissimum est de qua Hadrumeti coram Scylace prædicatum fuit (καὶ ἡ χώρα αὕτη ἀρίστη καί παμφορωτάτη). Quo spectent hæc verba μακραῖς ναυσί queas paulisper hærere; non deest tamen interpretatio; pactione cautum est et cavendum erat ne ullam longam navem, societatis gratia, trans Pulchrum promontorium mitterent unquam Romani; de onerariis vero, quæ singulæ navigabant mercaturæ causa, agi Polybius ne verisimile quidem arbitratur; id erat enim pristinum jus gentium ut externos, nisi di-

1. Ἐμπορεῖα pravam esse lectionem nos monet C. Tissot.

serte exceptos, populus quisque a suis littoribus arceret; quo igitur hospitio excipiendæ forent onerariæ naves, nil dubium est : Καρχηδονίους καταποντοῦν (v. infra, p. 113). Carthaginienses igitur eam rationem auspicantur, olim post duo millia annorum Lusitanis et Hispanis imitandam, quum via ad Indos erit interdicendum.

2° Tunc demum Latinorum naves in « mari punico », ut Flori verbum usurpemus (I, 18), deprehensæ non piratarum loco habebuntur, si procella fuerint eo delatæ aut instantem effugere hostem coactæ. Qui quidem, utpote socii, refugio non possunt excludi. Sed quanta sollicitudine ab illis præcavetur! Ἐὰν μὴ ὑπὸ χειμῶνος ἢ πολεμίων ἀναγκάσθωσιν· ἐὰν δέ τις βίᾳ κατενεχθῇ, μὴ ἐξέστω αὐτῷ μηδὲν ἀγοράζειν, μηδὲ λαμβάνειν, πλὴν ὅσα πρὸς πλοίου ἐπισκευὴν, ἢ πρὸς ἱερά..... » Polybius vero iterat quam acerbe sint hæc præscripta et quamdam stipulationem adjicit gravissimam, quam opinamur ipsi pactionis *carmini* insertam a librariis scribis omissam fuisse : καὶ κατ' ἀνάγκην ἐν πένθ' ἡμέραις ἀπαλλάττεσθαι τοὺς καθορμισθέντας. Malignum sane hospitium, et illi simillimum quo, vel icto *Gentili Pacto*, in portus Hispanos Americæ naves Francigenarum excipiebantur (Bougainville)!

3° Stipulationibus quæ sequuntur, non ad Syrtium regionem, sed ad portus Sardiniæ et Africæ qui Romanis patebunt spectantibus, describitur ac definitur qua conditione pateant : nil venire poterit nisi per scribam et præconem ; de emptionibus vero ita constitutis publice præstabitur, quo securiores discedant alienigenæ : τὸ δίκαιον ὑπισχνοῦνται βεβαιώσειν οἱ Καρχηδόνιοι δημοσίᾳ πίστει, ait Polybius (cf. Arist., *Polit.*, VI, 8, edit. Bekker). Adjiciendum est tamen inde facilius fuisse Carthaginiensibus quæ fieri soleret mercatura edoctis statuere quid portorii esset exigendum, quæ ratio ac dis-

ciplina in quodque mercatorum genus esset adhibenda.

4° At in ea Siciliæ parte quæ Carthaginiensibus cessit in ditionem, non item : utrique populo jura admodum penitus æquantur. Quum enim unam tantum obtineant insulæ partem Carthaginienses, necesse est ita Latinos tanquam inescare ut navibus nec Syracusas petant nec Agrigentum.

5° Extremæ stipulationes rem militarem solam attingunt; his quædam describuntur conditiones quibus erga Latinos Romanosque Pœni teneantur. Qui quum ea tempestate armis decertarent adversus et Phocenses Elæenses et Dores Cumanos qui Latinis sociis utebantur (Dionys. Halic., V, 36; VII, 2, et passim), fieri poterat ut eorum classes in Latiam oram deferrentur : at Roma statuit quatenus ibi commorari et rem gerere liceat.

6° Pactione non præceptum est quomodo Romæ et in ceteris portibus Latinorum mercantes Pœni habendi sint. De qua prætermissione nihil colligere ausimus; adde quod nihil ad id de quo agimus.

Hæc summa est : tres regiones Latinis definiuntur;

Sicilia scilicet, ubi Latini Pœnique ex æquo mercaturam facient;

Africa et Sardinia ubi mercandi licentia Latinis conceditur, ea autem conditione ut a Carthaginiensium magistratibus custodiantur;

Mare Syrticum, quo illis omnino interdicitur.

Anno A. C. 348 (Wende, p. 7-10) secundum fœdus ictum fuisse a Romanis et Carthaginiensibus tradiderunt annalium scriptores. Eadem, quæ prius, de mari Syrtico illud prohibet : « Τοῦ Καλοῦ ἀκρωτηρίου..... μή ληΐζεσθαι ἐπέκεινα Ῥωμαίους, μηδὲ ἐμπορεύεσθαι, μηδὲ πόλιν κτίζειν..... » (Polyb., III, 24). Apparet rem breviter esse

præscriptam, utpote quæ jam in usum venerit, et illius memoriam tantummodo redintegrari. At insuper interdicitur et emporiis in Oceano sitis, et Sardinia, et africano littore quod a Carthagine patet ad occidentem. Quæ causæ suppetebant cur Syrtica emporia clauderentur, easdem exstitisse dicemus cur et Atlantica, in quibus cum incolis mercatura fieri posset nullo interveniente ; Pœni nobis videntur non et Atlanticis Romanos jam anno 509 prohibuisse ideo quod hoc tempore illa nondum occupaverint (Movers, II, 659). At minus apparet quare portibus quoque Sardiniæ et Libyæ interdixerint. Inde colligit Mommsenius (II, 232) rem nauticam apud Romanos in deterius lapsam. Esto. Non autem discernimus quibus causis inducti Carthaginienses plura etiam quam antea prohibuerint, nisi, ut Polybius censet, ita melius etiam declarare voluerint has omnes regiones se occupare et possidere ; quæ quidem interprepretatio, credimus, rem non multo planiorem facit.

Nunc omissis fœderibus et anno 343 (T. L., VII, 38) et anno 306 (*id.*, IX, 43) ictis, quorum conditiones ignoramus, veniamus ad eam societatem quæ inter Romam et Carthaginem adversus Pyrrhum anno 279 convenit, quippe utrique civitati imminentem. Eas tantum stipulationes refert Polybius quibus unaquæque spondebat se alteri auxilio futuram, si quid instaret periculi, sed addit hoc fœdere cuncta commemorari quæ prioribus inscripta fuerant : « ἐν αἷς τὰ μὲν ἄλλα τηροῦσι πάντα κατὰ τὰς ὑπαρχούσας ὁμολογίας..... » Quindecimo igitur ante bellum punicum anno, Romanis semper interdicebatur mari Syrtico ; suæ in re mercatoria rationi ac disciplinæ Carthago tenacissima, volventibus sæculis, hærebat.

At in ea parte maris Mediterranei quæ vergit ad occi-

dentem Etruscos et Massilienses æmulos habebat et magis formidabat quam Latinos. Quanquam Etruscos sæpius socios experta est quam hostes : communi enim Græcorum colonorum odio inter se sociabantur Pœni Etruscique. Nos edocet Aristoteles (*Polit.*, III, 9, ed. Bekker) « Tyrrhenos » et Carthaginienses mercatoriis fœderibus inter se junctos fuisse ; Τυῤῥηνοὶ καὶ Καρχηδόνιοι καὶ πάντες οἷς ἐστὶ σύμβολα πρὸς ἀλλήλους..... Εἰσὶ γοῦν αὐτοῖς συνθῆκαι περὶ τῶν εἰσαγωγίμων καὶ σύμβολα περὶ τοῦ μὴ ἀδικεῖν καὶ γραφαὶ περὶ συμμαχίας, κτλ... » Dum vero recensemus illas conditiones et alias sequentes quibus præscribitur ut gens unaquæque, si quid litis exoriatur, id judicibus ab altera constitutis dirimendum permittat, nos subit pactionis a Romanis Pœnisque factœ anno 509 recordatio. Quare opinamur Carthaginem anno 509 cum Latinis Romanisque paciscentem eadem illis injunxisse quæ antea gentibus Tyrrheno-Latinis inter se fœderatis : a quarum societate quum Roma nuper descivisset, necessarium fuerat Carthaginiensibus cum ea privatim fœdus ferire. Quæ quidem si placeat interpretatio, jure dixerimus Etruscos fuisse, sexto sæculo, haud secus ac Latinos, in portus quos in Sicilia Pœni obtinebant sine ulla conditione receptos; et certis quibusdam conditionibus in Sardiniæ Metagonitidisque portus; at eosdem omnino prohibitos mari Syrtico.

Haud aliter arbitramur quæ Romani anno 348 de pace cum Pœnis convenientes vetiti sint, eadem et vetitos fuisse Etruscos ceterasque gentes. Qua enim pactione, Carthago edicit ne Romani metas Herculeas transgrediantur; Tyrrhenis pariter præceperat, auctore Diodoro (V, 20), ne in Oceanum ullam coloniam deducerent. Romanos portibus Sardiniæ prohibitos esse constat; necnon memoriæ prodidit Eratosthenes externas

naves, si in mari Sardo vel freto Gaditano a Pœnis deprehererentur, mersas fuisse et oppressas : « Καρχηδονίους καταποντοῦν, εἴ τις τῶν ξένων εἰς Σαρδὼ παραπλεύσειεν ἢ ἐπὶ Στήλας..... » (Ap. Strab., XVII, I, 19). Ergo non est quod contendere dubitemus iisdem impedimentis Etruscos nunquam non exclusos fuisse quibus Romanos. Quid enim proficiunt prohibitiones, nisi ad quam plurimos populos pertineant?

Hacce acerbitate Carthaginienses utebantur in socios : qua debuerunt in hostes, Græcos dicimus occiduos, Phocenses et Massilienses ! Illis enim æmulis quos circa Alaliam urgebat Carthago et ipsorum usque in agrum persequebatur, in quorum portu emporium condere audebat (Lenormant, II, 408), nullo modo fieri potest ut unquam regionem eam aperuerit qua suos ipsius socios prohibebat.

Græci vero qui Siciliam incolebant, quibus nunc sociis nunc hostibus solebat uti, nescimus utrum in Emporia reciperentur an iis excluderentur. At non erat quod hanc licentiam illis Carthago concederet, omnino inusitatam : tota illius ratio irrita cecidisset.

8

CAPUT NONUM

TERRORES QUOS SYRTI MINORI CARTHAGO CIRCUMDAT

CAPUT NONUM

TERRORES QUOS SYRTI MINORI CARTHAGO CIRCUMDAT

Quo melius occultata externos Syrtis minor falleret, ei Carthago terrores, certius fœderibus propugnaculum, circumdedit. Scylaci nempe Thapsum et Hadrumetum advecto metuenda narrantur de illo sinu, in quem penetrare non potuit : aiunt ostio Tritonis, quum mare recedit, navem neque subire (neque ideo exire) posse, quod, quanquam verum, periculo vacuum est ei qui maris æstus eorumque morem in illa ora novit; asserunt eam Syrtim « altera multo periculosiorem esse », quod falsum. Quum Regulo ultra Pulchrum promontorium classem transmittere quæ apud Ecnomum vicerat in animo est, classiarios ac milites religiosus pavor incessit : « Nec deerant qui ipso Punici maris nomine ac terrore deficerent... » (Florus, I, 18). Necesse est ut imperator securim tribuno cuidam minetur : « metu mortis navigandi fecit audaciam..... »

Refertæ sunt litteræ antiquæ illis terroribus, vel eo tempore quum Syrtes nulla alia re præter formidinem, quam injiciebant, defendebantur. Evolve Virgilium, Horatium, Propertium, Tibullum, Catullum, Ovidium, Senecam tragicum, Lucanum, Silium Italicum, Valerium Flaccum, etc..., Syrtes nunquam, nisi adjectis me-

tuendis vocabulis, nominant : vox apud eos communis est qua inaccessa littora significent. Ipsi geographi vix minorem pavorem, quam poetæ, injiciunt.

Sallustius, fortuitus geographus, cum Cæsare stipendia fecit ipso in ostio minoris Syrtis : classem a minore Lepti Cercinam duxit. Postea biennium (46-44 A. C.) Romæ nomine imperium tenuit in littore utriusque Syrtis, idque primus, quum ante eum Provinciæ fines cis Thenas starent. Verba ejus inspiciamus : « Mare sævum, importuosum..... (*Jug.*, 17)..... Duas Syrtes, quibus nomen ex re inditum. Nam duo sunt sinus prope in extrema Africa, impares magnitudine, pari natura ; quorum proxuma terræ præalta sunt ; cetera, uti fors tulit, alta, alia in tempestate vadosa. Nam ubi mare magnum esse et sævire ventis cœpit, limum arenamque et saxa ingentia fluctus trahunt ; ita facies locorum cum ventis simul mutatur... » (*Ibid.,* 78.)

Is digressus de Syrtibus, in narratione belli jugurthini, ubi de majore Lepti agitur, interjectus, clare significat : « Romæ ignoratur quid sint Syrtes : quum ego ibi bellum administraverim ac rebus præfuerim, vos jam id edocebo. » Ergo exspectant descriptionem Polybii ad exemplum exactam, inveniunt verba et voces, rem unam et alteram veram : canalem quo littus prætervehuntur navigantes (v. C. Müller, *Atl.*, *tab.* XII, « canalis quo navigatur juxta littus... »), quem Sallustius videtur novisse, quum ipse a Lepti minore Cercinam contendit (Hirtius, de B. A., 8, 34) ; saxa ingentia, quæ rupes *Chraga* esse possunt, apud quas fors mare lustravit, quippe qui plures dies in eo brevi trajectu consumpserit (*ibid.*). Æstus, qui certa ratione in minori Syrti fit, duobus incertis verbis indicatur. Ne multa : non promissum Sallustius præstat. Cæsaris ami-

cus non videtur littora suæ provinciæ quæ ad meridiem spectant exploravisse : ei sunt longinquæ regiones « prope in extrema Africa » positæ. Porro respiciebat libentius ad Urbem.

Strabo, qui diligenter veritati studet, videtur mari totum littus Africæ prætervectum esse, ejusque descriptio (XVII, III, § 16 ad § 22), omnino speciem peripli præbet. Quam si sequimur, non eo quidem quo utitur ordine, sed ut eum credimus navigasse, patet eum a Cyrene ad Meningem oram legisse, loca notantem sedulo quæ ei designabantur : exempli gratia Syrtim majorem non horruit. At recta via videtur a Meninge ad Cercinitim et Cercinam perrexisse (omissa minore Syrti), inde ad Thenas, tum rursus oram legisse. Ceterum, ut Scylax, multa percontatur. Ergo scit Syrtes periculosas esse ob vada æstusque, præcipue si utraque causa congruerit ; circumvectionem in ista ora usurpari ; πολίχνας in ea inveniri (πολίσματα refert Scylax) ; intimo in sinu ad ostium fluminis esse « permagnum emporium » ; æstus quos in transmittendo observare potuit, usque in interiore sinu fieri, et maris accolas, ubi fluctus resederunt, multos pisces intercipere. Hæc omnia novit, verum fatetur naves potius altum tenere : Πόῤῥωθεν τὸν παράπλουν ποιοῦνται, ac temeritatem increpat iis qui aliter agunt : τὸ μέντοι παρακίνδυνον τῶν ἀνθρώπων ; ignorat nomen « permagni » emporii quod fuerat unus e fontibus punicæ opulentiæ ; ei sunt πολίχναι τινές illa Emporia quæ adeuntem forsan tot tamque utilia docuissent.

Pomponio Melæ placent eadem quæ Straboni de causa quæ navigantes in Syrti minore cohibet, sed pronuntiat eum sinum, Sallustium (ut videtur) sequens, « importuosum atque atrocem... » Importuosum illud littus ubi ipse Thenas ac Macomades nominat, ubi documenta

ætatis Imperatoriæ nobis decem aut duodecim portus ostendent a promontorio *Caput vada* ad fretum Templo Veneris proximum! Ubi septem etiamnunc noscuntur e vestigiis (Guérin, I, 161-232), ut taceamus eos e quibus nihil superest aut qui post conditi sunt! Revera, scriptor elegans exponit quæ eo tempore vulgo ferrentur : Romæ, Cæsarum ævo, fere nulla de minore Syrti cognoverant vel politi viri!

Plinius, sub finem ejusdem sæculi, inter multa utilia quæ aut ipse collegerat aut a Polybio mutuatus erat, adhuc eadem vituperatione utramque Syrtim male confundit : « Sinus vadoso ac reciproco mari diros » (V, 4). Præfectus ille romanæ classis non videtur ultra Cercinam navigasse (v. supra, p. 80, notam).

Oportet deveniamus ad compilatorem tertii sæculi, Solinum, ut rectam vocem de minore Syrti, inter dubia et ambitiosa multa, tandem assequamur : « Aliquanto clementior quæ minor est... (Syrtis)... » [1]. Secundum sæculum et tertium P. C. aderant renascenti prosperitati hujus oræ, cujus commenticiis periculis nautæ tandem assueverant [2].

Libellum de geographia habemus Græcis hexametris conscriptum, sub finem primi P. C. sæculi (Dionysium Periegetem ; v. C. Müller, II, *Prolegom.*, XXIX), qui videtur in scholis fere unice usurpatus fuisse. Eum latine verterunt aut imitati sunt, scholiis ornarunt, ejus paraphrases scripserunt quamplurimi. Dionysii vero si versus animadvertis in quibus de Syrtibus agitur (103-108,

1. Adde vivida verba : « Continens naturam maris sui patitur... » Cf. Mouchez, *Comptes-Rendus de l'Académie des sciences*, 8 janvier 1877 : « La nature du pays, qui n'est autre chose que le désert arrivant au bord de la mer. »

2. V. Procop., *De ædif.*, VI, 4.

198-206, 477-480), vides maris æstum non minore veritate quam elegantia depictum :

Ἄλλοτε μὲν πλημμυρὶς ἐγείρεται, ἄλλοτε δ' αὖτε
ἄμπωτις ξηρῇσιν ἐπιτροχάει ψαμάθοισιν.

Spectaculi tamen magnitudinem ac terrorem auget :

ὡς οἱ μὲν βοόωσιν ἑλισσόμενοι δύο κόλποι

Totum minoris Syrtis et interioris Libyæ commercium videtur Meningem ac Cercinam confluere :

Μῆνιγξ καὶ Κέρκιννα, Λιβυστικὸν ὅρμον ἔχουσαι.....

Ita carmine Periegetæ confirmantur quæ legendo Strabonem collegimus : augentur, dum fides punicis fabulis habetur, pericula æstus in minore Syrti, nec ultra Cercinam et Meningem, id est aditus, procedunt externi negotiatores.

Ita fama illa quam Carthaginienses Syrtibus paraverant, ei præcipue quæ magis ad occasum vergit, metuenda mansit Cæsarum ætate, si minus apud maritimos homines qui videntur secundo et tertio P. C. sæculo eam oram satis celebravisse (Ptolemæus, *Itinerarium maritimum*), saltem apud scriptores. Etiam usque ad nos nonnihil ex falsa ista opinione manavit : « Les marins de nos jours évitent ces côtes comme le faisaient les anciens nautonniers Hellènes... » (E. Reclus, *Géographie*, I, 52).

Inanesne fuerunt omnino illi metus? Apud veteres auctores notata hæc pericula invenimus :

1° « Inhospitæ sunt Syrtes », ait unusquisque poeta. Imo inhospitales accolæ, jubente Carthagine.

2° « Æstus maris metuendus est. » — Iis, fatemur, qui, quum illas oras non adierint, leges æstus nesciunt : qui quidem, quum in majori parte Interni maris fere nullus sit, valde incertus fere ubique, manifestissimus autem in quibusdam locis (Venetiis, in Euripo, in freto Siciliæ, Carthagine nova), in sinu Tacapensi fit sicut in Oceano, æqua ratione, certis demensisque momentis (E. Reclus, *Ibid.*, I, 39).

3° « Magna vadorum pericula. » — Magna quidem ignorantibus. Mosæ enim ostia multo magis obstructa ; unde tamen Batavi tanquam ad subigendum ditioni suæ Oceanum proruperunt.

4° « Terribiles scopulos » neutiquam nisi in loco dicto Terf-el-Djorf et apud rupes Chraga, ab orientali parte Cercinæ vicinas, reperimus.

5° « Portus adiri non posse » queruntur. — Quum refluit mare, quod quam multis Oceani nostri portibus accidit.

6° « Sæpe fractas naves » : Σπάνιον δ'εἶναι τὸ σωζόμενον σκάφος... (Strab., XVII, III, 20). Hic res potius et eventus tueamur. Nihil ultra unam et alteram istius modi cladem veteres rerum scriptores tradidere ; fractas onerarias naves quæ, Mercenariorum belli temporibus, frumentum ex Emporiis Carthaginem asportarent (Polyb., I, 82); (adde quod utrum in ipsa Syrti an apud Hermæum naufragium factum sit, incertum est) ; et, post pugnam Zamensem, alteram iterum classem ; sed nulla certior loci mentio (App. VIII, 16). Equidem longe aliud opinamur, quum Dio, e Siciliæ littoribus in septentrionales Cercinæ rupes procellis actus, « nautis contorum auxilio acerrime nitentibus », feliciter evaserit, unde in Syrtis ma-

joris ostia impulsus quarto die Heracleam Minoam repetiverit. Is igitur omne mare Syrticum adversa tempestate incolumis trajecerat (Plutarch., *Dio.*, 25-28). Quin imo, anno A. C. 253, Romana classis, quum in ignotis littoribus esset æstu refluente deprehensa, in vadis Meningis hæsit; mox autem ipso maris motu liberata, Siciliam territa sed intacta repetiit; deinde quum e Panormo Ostiam pergeret, e trecentarum navium numero dimidiam partem amisit. Hic vero profecto Syrtes in culpa non sunt; Siciliæ vero littora Romanæ classi magis nocuerunt (Polybe, 1, 39, et passim).

Syrtium igitur et inprimis minoris Syrtis pericula valde rumor auxerat, quæ tum majora non fuerunt quam hodie essent si in illis littoribus perita commercii civitas imperaret, quæ navigantibus aperiret portus et obvios mitteret gubernatores. Hæc tum omnia Carthago instituerat, suis demum nautis auxilia futura, advenis exclusis.

Ut nunc breviter omnia comprehendamus, qui tunc navigationem exercebant, quum a minore Syrti procul arcerentur, eam omnino ignotam habebant; metum vero genuit ignorantia, quem Carthago fabulis in vulgus compositis ultro aluit et auxit. Hoc vero crimen si quis inane contenderit, quidquid Polybius, Strabo, Diodorus nos docent, memoria repetat, et quam accurate Carthago vias in Emporia seu atlantica seu syrtica ducentes in obscuro tenuerit. Ceterum idem illud quod Carthagini crimen intendimus, jamdiu Heeren intulit (IV, 197, 257).

CAPUT DECIMUM

QUANTAM MINORIS SYRTIS CURAM EGERIT CARTHAGO

CAPUT DECIMUM

QUANTAM MINORIS SYRTIS CURAM EGERIT CARTHAGO

Ita factis pactionibus aut sparsis vanis terroribus Carthago a minore Syrti alienigenas removit. Nunc inspiciendum quibus rationibus adhibitis sic ea potita sit ut propia ipsius possessio, ipsius mare, « Punicum » scilicet mare, fieret ac prædicaretur.

Primum Melitam et Gaulon jam e medio sexto seculo (Movers, II, 253), necnon et Cosyron et Lampada occupavit et obtinuit unde accessum Syrtis prohiberet.

Lampas geminis aut ternis turribus instructa erat et munita, non pharis, sicut postera Al-Bekri ætate, sed speculis, unde hostis prospectaretur. Polyænus (Sratag., VI, 16) quamdam describit clepsydram, qua signa e Sicilia in Carthaginem (per Cosyron, ut opinamur, mediam stationem) traderentur. Haud aliter verisimile est per Lampada e Melita ad littus Byzacii, speculis multis protecti (Strab., XVII, III, 16; T. L., XXXIII, 48; Guérin, I, 101-176), signa commeavisse.

Quod si hæ custodiæ, primo quasi ordine stantes, forte vitarentur, non poterat in minorem Syrtim intrari nisi per fauces ad septentrionem inter Cercinam et Byzacium spectantes aut per alteras ad meridiem inter Meningem continentemque, aut si in alto inter geminas hasce insulas navigaretur.

Fauces autem septentrionales cx tantummodo aut clxx stadia in latitudinem patent; per se ipsæ defenduntur, speculis scilicet, et maritimis æstibus [1], et vadis unde habebat nomen Βραχώδης ἄκρα. Ceterum, nostra quidem sententia, vetitum ac nefas externis impertire nautica indicia, quæ si deficerent, non poterant naves in freto regere. Strabo nos edocet qua arte Gaditani viam ad Emporia Oceani celarent. Cujus si narrationem revolvimus, non fieri non poterit quin singulæ voces nobis suppeditent minoris Syrtis et Pœnorum cogitationem : Πρότερον μὲν οὖν Φοίνικες μόνοι τὴν ἐμπορίαν ἔστελλον ταύτην ἐκ τῶν Γαδείρων, κρύπτοντες ἅπασι τὸν πλοῦν. Τῶν δὲ Ῥωμαίων ἐπακολουθούντων ναυκλήρῳ τινὶ, ὅπως καὶ αὐτοὶ γνοῖεν τὰ ἐμπόρια, φθόνῳ ὁ ναύκληρος ἑκὼν εἰς τέναγος ἐξέβαλε τὴν ναῦν, ἐπαγαγὼν δ'εἰς τὸν αὐτὸν ὄλεθρον καὶ τοὺς ἑπομένους, αὐτὸς ἐσώθη διὰ ναυαγίου καὶ ἀπέλαβε δημοσίᾳ τὴν τιμὴν ὧν ἀπέβαλε φορτίων... » (III, v, 11). Credendum est, non solum in Oceano, sed etiam in Punico mari plurimos exstitisse qui ita se devoverint.

Fauces autem meridianæ, quas fuisse ne suspicari quidem videtur Herodotus, duo et viginti stadia tantummodo in latitudinem patent ad orientem; quæ nescio an fuerint etiam, antiquis temporibus, angustiores (apud Scylacem, tres stadia ; apud Plinium (V. 7) md passus; in Stadiasmo, octo stadia). Quas qui transgressus est, ei occurrit quoddam maris inclusi genus, unde se expedire non potest ad occidentem, nisi per alterum, vel arctius, fretum (novem stadia); ad hoc accedit ut æstus maritimi, hoc etiam in tractu, assurgant altissimi (Smyth,

1. Quibus hoc in tractu vis est præcipua ; ad quinque, vel ad decem pedes assurgunt et singulis horis duos aut tres nodos emetiuntur. — Smyth, *The Mediterranean ;* Tirant et Rebatel, *Excursion en Tunisie, Bulletin de la Soc. de géogr. de Lyon*, n° 1 ; Guérin, 1,157).

Guérin) et in vadis naves, recedente fluctu, inflictæ hæreant, magis quam sex stadia a littore distantes (Smyth ; Féraud, *Revue africaine*, n°s 119-120). Quodlibet externum navigium, ubi has angustias subierat, præda Pœnis dabatur.

Viatores quidem nobis duo antiqua opera commendant, cognitione necnon admiratione digna, aggerem scilicet quo Meninx continenti (Barth, Maltzan, Guérin) et alterum quo Cercinitis Cercinæ jungebatur (Maltzan, Guérin). Iidem vero non nos docent utrum romana an phœnicea sint opera illa. Quæ si punica esse constaret, ea posset affirmari non tantum commercii, sed etiam rei publicæ causa fuisse ædificata. Per aggerem qui Meningi adjacet, nautæ ab oriente advecti omnino fuissent mari Gichthensi et minoris Syrtis præter meridianum littus aditu prohibiti ; per alterum qui ad Cercinam pertinet, obstructa fuisset « illa fossa navigabilis, quatuor aut quinque pedes alta » (Guérin ; Maltzan, II, 388), qua trajecta hostium classis, ab oriente in alto navigantium, potuisset præcipuum Cercinæ portum (Bordj-el-Mersa, ut credunt), amplum mercibus receptaculum, subito occupare; insuper per eumdem, junctis inter se geminis insulis, tota moles fiebat quoddam magnum opus projectum quod CCXL stadia in latitudinem patens freti custodiebat accessum.

Ut concludamus, naves externæ non poterant minorem Syrtim contra vetitum intrare, nisi per ingens illud spatium DXL stadia patens, qua Cercinitis Meninge dividitur, iter tenderent, ac procul a littoribus (qua navigatione nulla erat antiquis nautis molestior) atque ad invisam oram temere regerent cursum. Omne vero ignotum non solum pro magnifico, ut dixit Tacitus, sed etiam pro horrendo est.

A continenti quoque Carthaginienses diligentissime consuluerunt ut tutam præstarent suam « possessionem »; qua voce utitur Heeren (IV, 257) et quidem optimo jure. Tres olim gentes, vagari solitæ, hoc littus a majore Lepti ad lacum Tritonidem obtinebant, et Gindanes, et Lotophagi, et Machlyes. Scylacis ætate, in locum Gindanum, gentis jam aboletæ, successerant Lotophagi, atque ab illo quem illi deseruerant agro, a Gaphara scilicet, incipiebat « ἡ Καρχηδονίων χώρα ». Vagi autem Lotophagi continentem incolentes [1] videntur in perpetuum Carthaginis socii exstitisse [2]. Haud immerito dices e quaque Syrti a Pœnis unam gentem esse exterminatam (Psyllos, Gindanes), ut alteram adjutricem haberent (Nasamones, Lotophagos). At Machlyes vagos credendum est nihilo ab agricolis Maxyibus [3] discrepuisse nisi sede domicilioque; quæ cunctæ tribus lacui Tritonidi adjacentes (Machlyes, Maxyes, Ausees apud Herodotum, Maxitani apud Justinum, flavi Libyes apud Scylacem, Μάχυνοι et Μαχρύες apud Ptolemæum), sunt Amâzigh, scilicet « Berberi ». Quorum qui septentrionalem a Tritonide lacu regionem incolerent, Pœnorum in ditione fuisse verisimile est, qui vero meridianam obtinerent, eorum auctoritatem certe subiisse. Utcumque erit, universæ gentes Tritonidem lacum circumcolentes, tertio

1. A Lotophagis discrepantes insulanis, Meningis incolis, qui sibi domicilio constituto agricolæ facti erant, quosque apparet fuisse, dominante Carthagine, ἐγχωρίους, haud secus ac Libycos Byzacii rusticanos, neque unquam insulam deseruisse : nunc etiam a *Barbaris* Djerba incolitur (Maltzan, III, 98).

2. V. Silium Italicum, III, 310-311; uno elapso seculo, Artemidorus nos edocet eos in solitudinem ejectos esse (ap. Strab., III, IV, 3; XVII, III, 8); apud Ptolemæum eos reperimus Cinyphi adjacentes (IV, III, 22, 27, ed. Nobbe).

3. Herod., IV, 178 : Μάχλυες ; 191 : Μάξυες.

sæculo nondum exacto, Carthaginis stipendia merebant (Silius Italicus, III, 322-324 ; IV, 533, etc.) ; mox Theveste (Tebessa), magnum illud oppidum Numidarum, tertio sæculo decurrente (Mommsen, III, 12), expugnatum et occupatum ab omni interiore gente, si quæ forte immineret, minorem Syrtim tutissimam posthac præstitit.

Rebus ita constitutis, Carthago poterat comitatibus mercatorum Garamantum in minore Syrti tutum hospitium præbere. Opima Emporia in quæ e tribus terrarum partibus fructus ac merces congerebat nil jam habebant quod formidarent seu ab externis nautis nimia cupidine visendi inductis, seu a prædonibus ex Atlante monte aut desertis grassantibus. At sinus ille in quem mercaturam quæstuosissimam Carthago clanculum contrahebat ab ea longius distabat ; necesse erat ut eo per aliam viam atque maritimam aditus esset, ne procellas hostilesque classes penes foret Emporia ab urbe intercludere ; quocirca, viæ patefactæ sunt.

Arbitramur enim præcipuas vias quæ *Peutingeriana tabula* et Antonini *Itinerario* describuntur non Romanos, post devictam Carthaginem, esse auspicatos. Fieri quidem potuit ut ibi quædam opera ex arte conficerent ac sua milliaria ponerent : at illæ viæ jam antea erant, nec non commode munitæ. Quod manifestum apparet ex quibusdam scriptorum antiquorum argumentis :

1° A Pœnis potissimum prima milliaria posita fuisse traditur : « Primum autem Pœni dicuntur lapidibus vias stravisse. Postea Romani eas per omnem pæne orbem disposuerunt.... » (Isidori Hispalensis Originum libri XX, Basileæ, 1577 : lib. XV, cap. 16).

2° Polybius (I, 75), dum colles illos describit quibus ad occidentem Carthaginis peninsula clauditur, hæc

addit : « τῶν γεολόφων..... ὄντων δυσβάτων καὶ χειροποιήτους ἐχόντων διεκβολὰς ἐπὶ τὴν χώραν..... » Quod si viarum romanarum tabulam inspexeris, duas certe, si non plures, signabis quæ Djebel-Ahmar transeunt ; illa vero per quam ad Byzacium tenditur stationem præbet *Pertusam* appellatam, quod nomen haud ita dissimile est a verbo apud Polybium usitato, χειροποιήτους dicimus.

3° Ita narrat Diodorus bella in Libyam ab Agathocle illata ut appareat vias jam exstitisse munitas ac necesse sit, dummodo ea velis animo concipere, tibi ante oculos viarum romanarum tabulam subjici. Haud aliter narrat et Polybius Mercenariorum bellum et prioris Scipionis bella Appianus, quanquam ea sunt nunc etiam multis locis obscura.

4° Plinius (V, 4) nos docet Thenas a Carthagine CCXVI millia distare : quod quidem intervallum est itinerarium ; Antonini autem in *Itinerario* legimus CCXV millia. Hæc igitur via est quæ transit per Maxulam, Putput, Adrumetum, Leptim minorem, Thysdrum et Usillam.

Addit Plinius (V, 4) Carthaginem a minore Syrti CCC millia abesse. Quum vero Tacape distet LXXXIV millia a Thenis (*Itin. Anton.*), CCC igitur millia a Carthagine, inde constat hic agi de eadem via usque ad Tacupen producta.

Idem Plinius affirmat minorem Syrtim, auctore Polybio (« tradit Polybius »), CCC millia amplecti ; at Sabrata nos monuit antea minorem Syrtim ab oriente claudi. A Thenis autem unde Plinius minorem Syrtim incipere usque ad Sabratam qua eam contineri contendit, via antiqua qua per Veneris Templum transeunte littus prætexitur, longa est CCCV millibus [1]. Ita

1. Quos numeros deprompsimus ex *Itinerario Antonini*, præter mensu-

Polybius, millibus quinque detractis, noverat optime in quam longitudinem pateret via inter Thenas et Sabratam ducta. Unde colligendum est hanc viam, Carthaginiensium dominatione jam declinata, exstitisse ; quum vero opus Numidarum, qui tunc Emporia quidem obtinebant, sed nuperrime occupata, haberi non queat, necesse est ut a Carthaginiensibus munita fuerit, dum erant rerum potiti. Si vero punica ducenda est via quæ a Thenis ad Sabratam tendit, tanto magis alteram a Carthagine ad Thenas punicam esse patet.

5° Plinius, dum disserit de Byzacio, addit (V, 4) : « Ita appellatur regio CCL M. pass. *per circuitum*, fertilitatis eximiæ.... » Ipsa Polybii verba propemodum exscripsit : « Πολύβιος Βυζακίδα χώραν εἶναί φησι περὶ τὰς Σύρτεις..... σταδίων μὲν οὖσαν τὴν περίμετρον δισχιλίων, τῷ δὲ σχήματι περιφερῆ (Steph. Byzant. ad v. Βύζαντες, p. 124). Duobus autem millibus stadiorum prorsus æquantur ducenta quinquaginta millia. Polybius igitur Pliniusque consentiunt Byzacium CCL millia complecti quasi circino circumductum. Hæc omnia minime pertinent ad provinciam Byzacium, quæ ceterum tertio demum sæculo P. C. fuerit constituta. Quod si vero illam ipsam viam quæ *Itinerario Antonini* a Carthagine ad Thenas per Vallem, Corevam, Mustim, Assuras et Sufetulam expressa est in tabula inspexeris, ea dimidiati circuli potissimum speciem præbebit, ipsamque agri punici feracissimam regionem designabit (« fertilitatis eximiæ »), denique CCLXXVII millia patebit in longitudinem ; quæ mensura haud multum abest ab ea de qua consentiunt Polybius Pliniusque, ducentis scilicet quinquaginta millibus.

ram circuitus illius per Veneris Templum transeuntis, qui quum in *Itinerario* deesset, ad *Peutingerianam Tabulam* confugimus.

Inde censemus Byzacium antiquum, veterem Βυζακίδα, hoc dimidiato circulo fuisse comprehensum, ac Thenis finitum; hanc igitur viam a Carthagine tendentem ad Thenas per Mustim et Sufetulam vivente Polybio jam exstitisse, eamdemque a Pœnis fuisse descriptam, quæ pergeret ad Emporia et regionem frumentariam ambiret.

6° In alio loco Plinius describit, — auctore Polybio, ut sumus opinati, — viam a minore Syrti ad Garamantas pertinentem (v. supra, cap. VI).

7° Cum minore Syrti continens erat vastum aliud spatium, lacui Tritonidi circumjacens. De quo lacu nobili ubi fit mentio, duæ statim quæstiones exoriuntur, diversissimæ quidem inter se, quas operæ pretium est cognoscere, nec confundere : hinc quærendum est an temporibus antiquis navigia pateretur lacus, illinc an per se ipse ad mare deflueret. De priore proposito, plurima, et gravissima, contulit argumenta C. Tissot (*Notice sur le Chott-el-Djerid*, *Bulletin de la Soc. de Géogr. de Paris,* juillet 1879), ad quæ, quum nihil dubii relinquant, satius erit lectorem vocare, quam ea ex supervacuo perscribere. De posteriore vero temerarium esset necnon indecorum sententiam e Musæo proferre, eo ipso tempore quo strenui speculatores rem in ipso loco perspiciunt ac pertentant. Fac vero Tritonidem lacum cum mari non continentem fuisse; si certe conceditur fuisse navigabilem, facillime statim intelligi potest quid commodi Pœnis ex eo suppeteret; urbes in ejus circuitu, et eas potissimum in septentrionali ripa sitas, Aggarselnepte, Thisurum, Thiges, quo Pœni facilius commeare possent, opinamur fuisse emporia in quæ ab occiduis desertis (Sahara) nomades convenirent; merces igitur, quæcumque a partibus vallium

Oued-Mia et Igharghar venirent, per tractus Oued-Rirh et Souf advectas Neftam confluxisse, qui nunc etiam locus, ut affirmat C, Tissot, dicitur « Mersat es Sahara, solitudinum portus » aut « Mersat et Tounes, Tunetis portus », quum Tunetem in Carthaginis deletæ locum ferant ac prædicent incolæ. Quæ quidem nomina nunc inania esse et intellectu carere haud immerito dixeris; sed inde manifestius apparet quo antiquis temporibus valerent. Haud aliter credendum est Chattan-ech-Gheurfa locum, sub Nefta situm, in ipsa lacus ripa, portum urbi Aggarselnepte præstitisse. Hic enim unum vix abhinc sæculum reliquiæ fracti navigii erutæ sunt.

Qui Carthaginem a Nefta via terrestri tendebat, ei MMDC circiter stadia emetienda erant, si per Thiges et Thevestem transiret; MMCD autem si per Thiges et Sufetulam; duodecim scilicet aut tredecim dies integros, per montes, Numidis undique imminentibus, faciendum erat longum iter, magni laboris ac periculi, magni sumptus : ingens enim jumentorum multitudo vix portandis oneribus sufficit quæ uno navigio facile transvehuntur.

Fac contra negotiatores, mercibus suis instructos, Neftam linquentes ut in lacu navem conscendant, isthmo Tacapensi per vectionem aut sulcum (δίολκος) Corinthiaco similem [1] transmisso, ad Neapolim (Nebel) navigantes, ex uno mari in alterum penetravisse per illud iter de quo mentio fit apud Scylacem, ac denique fretum superavisse Carthagini proximum : non plurium erat dierum maritima navigatio quam terrestris; at quanto tutior, quanto minoris impensæ! si modo na-

1. Strab., VIII, VI, 32.

ves Carthaginiensium, quæ minorem Syrtim perlustrabant, essent tam capaces quam ea navigia oraria nunc etiam inter Tripolim et Sfak's commeantia (*chabeks ; v. Explorateur,* n° 80), tot onera vel una continebantur quot vix a centum camelis portata fuissent. Necessitas bis merces in navigia transferendi non poterat esse impedimento : quum enim tantus suppeteret servorum proventus, qui potuissent bajuli desiderari?

Quod vero Tritonis lacus navigationem pateretur, non ideo negandum utramque ripam viis fuisse munitam : arbitramur certe, C. Tissot auctore, eas quæ *Tabula Peutingeriana* descriptæ sunt prius exstitisse quam Carthaginis potentia corruisset (v. *Des routes romaines du sud de la Byzacène*, 1857).

Ad summam ea tempestate in minorem Syrtim vergebant :

et geminæ viæ byzacenæ a Carthagine, per Thysdrum una, altera per Sufetulam, Thenas ambæ convenientes ;

et geminæ ab utroque Tritonidis lacus latere transductæ, at certe via per lacum, qua a Nefta ad Syrtem advehebantur illarum fructus solitudinum, quas nunc « algericas » dictas, Gallica arma tenent ;

et ea quæ recte tendebat a Garamantum regione, per montem Djebel Duirât.

Qua multiplici viarum tanquam indagine minorem Syrtim habebant Carthaginienses irretitam ; recta tutoque in ea se conferebant Emporia quorum possessionem sibi propriam vindicaverant ac privatam : hæc autem, per duas certe vias, cum regionibus jungebantur seu ad meridiem, seu inter meridiem occidentemque spectantibus.

Dum vero demonstramus Pœnos omni opere enixos

ut, via terrestri qualibet alia ad mare Syrticum plusminus interclusa, solæ viæ ad minorem Syrtim, id est ad punicum agrum convenientes, a mercatoribus celebrarentur, tantummodo Græcos et Romanos scriptores in testimonium adhuc produximus. Nunc inspiciendum est quemadmodum rem tractaverint, tum in medio ævo tum nostris temporibus, duces hac terra potiti : Arabes, anno 653 P. C., jusserunt non jam in Sabrata sed in Tripoli urbe nundinas fieri [1], cujus edicti annum respicienti plane ratio reddetur : Tripolitanam enim provinciam quum jam obtinerent, nondum vero Byzacium neque Zeugitanam, ab occidente vias retrotulerunt ad orientem, quas sequerentur turmæ mercatorum ; quæ ratio ei est omnino contraria quam mille annis ante Carthaginienses sibi proposuerant. Quin etiam Cidamen urbem (Κιδαμή, Procopius, de *Ædif.*, VI, 3 ; Ghadames, ut creditur) mox occupant, ejusque incolas ad christianam fidem a Justiniano adductos (Procop., *ibid.*) cogunt ut islamicam amplectantur (Duveyrier, p. 254).

Nostra tempestate in urbem Ghât conveniunt geminæ mercatorum viæ, quarum una capit initium a Djoliba flumine, altera a Kachena urbe et Tsad lacu oritur. Ab oppido Ghât mercatorum comitatus Ghadames urbem petunt, unde, abhinc annis vix quadraginta, ad Tunetem pergebant, perantiquo itineri a Carthaginiensibus olim celebrato iterum insistentes. At quum ab anno 1835 Turcarum in possessionem Tripolis cesserit, Turcæ in eam urbem quodcumque commercium ab australibus partibus in internum mare defluat coire voluerunt; quumque Tacapen, quæ juris ipsorum non esset, delere nequirent, exemplum imitati quod undecimo ante illos

1. Slane, *Nouveau Journal Asiatique*, II, 358.

sæculo dederat Amrou-ben-el-Aâçi, Ghadames oppido potiti sunt, cujus mercatoribus præscriptum est ut prætere camelorum cursum ad Tripolim regerent. Quid plura? visum est Turcarum præfecto Ghadames ipsam urbem et Tunetis ditioni et gallicæ provinciæ nimium propinquam adjacere; anno igitur 1875 Ghât oppidum invadere decrevit (*Explorateur*, n°s 69, 76). Hoc unum quidem consecutus est ut, sublato omni commercio, latrocinia in ea regione succederent et rapinæ. Qui quanquam stultissime rem administravit, quo tenderet manifestum patet : instituerat ad orientem itinera retroferre quibus mercatorum comitatus uterentur. Quum vero Turcæ intellexerint, quod erat sane in aperto, ita demum posse opes suas confirmari et fortunas augeri, num fieri potest ut idem non Pœnis succurrerit?

Factis denique omissis, ad rationem confugiamus : si magna quælibet civitas, copia negotiatorum celebris, inter Bagradæ ostium et Hermæum promontorium sita, totum littus quam longum patet ad extremam majorem Syrtim ditione teneat; si nondum ea scientia, haud ita pridem inventa, tulerit ac prædicaverit commercium omnibus vinculis esse solvendum et expediendum; necesse erit ut hæc civitas idem propositum teneat quod Pœnos tenuisse contendimus.

Operæ pretium esset cognoscere quibus artibus illi propositum exsecuti sint : annalium auctoritati si stemus, vim solam crederemus adhibitam fuisse. Equidem temporibus antiquis usitatum erat et pæne concessum gentes sedibus suis expellere, mercatores externos a portibus subjectorum populorum arcere (Eusebius, loco citato; — cf. Strab., VII, v, 6). Quo usu abhoruisse neque Pœnos neque post devictam Carthaginem Romanos haud equidem arbitramur. At illi mercatores rem mer-

catoriam magis callebant necnon varias artes quibus crescere possit et vigere, quam ut, vi sæpius omissa, non tardius agerent atque ipsa commercii beneficia ad commercium tutandum melius valere non sentirent. Quodnam autem fuerit hoc commercium inspicere nunc adoriamur.

CAPUT UNDECIMUM

DE COMMERCIO

CAPUT UNDECIMUM

DE COMMERCIO

Eo ipso quod in proprii agri (χώρα) Emporia omnes fere Africæ commeatus Pœni coegerant, quæ ibi exerceri solitæ essent mercaturæ scrutantibus operæ pretium esset quasi universum Europæ et Africæ commercium, intra septimum et secundum A. C. sæculum, amplecti. Immensum profecto, ultra quod nobis propositum est, munus. Summa rerum fastigia tantummodo attingemus.

Quas ex Emporiis merces Carthago comparaverit primum omnium inquiramus : « Les produits du Soudan ont toujours recherché la voie saharienne de préférence aux voies fluviales » (Duveyrier). Credere est igitur ad minorem Syrtim, per solitudines (Sahara), hæc eadem Garamantas convexisse quæ in præsenti, stipantibus Touaregis, ad mare internum delata, Melitam et Calpen abunde locupletant (Largeau. — Cf. Duveyrier, Touareg, p. 293). Quæ igitur ea sunt? « Ghadames est *bondée* d'ivoire, de plumes, d'encens, de natron et de cuirs..... ; Ghât envoie à Tripoli l'ivoire du Bornou, les cuirs, le musc et l'encens de Kano, les plumes du Bornou, du lac Tsad, du Damergou et de l'Adrar, les cuirs de Haoussa, les tapis et la poudre

d'or de Timbouctou » (Say, Largeau, *Explorateur*, n°s 59-67))

Quod si vetera documenta repetimus, in emporio Cernes ebur et pelles ab Æthiopibus, amotis parariis, Phœnices, id est Pœnos, excepisse comperimus (Scylax). Quæ eadem profecto ad minorem Syrtim, seu per australem viam et « elephantorum solitudines » (Plinius), seu per Tritonidis lacus vecturam importabantur.

Easdem per vias, scilicet in Tacapensi emporio, bellicos elephantos Carthago videtur excepisse; quos postea, Emporiis amissis, arcessere cogetur (App. VIII, 9).

Reperta in Etruriæ tumulis struthiocamelorum ova (W. Helbig, *Cenni sopra l'Arte fenicia*) unde Tusci nisi a Pœnis acceperant, seu per Tacapen parata seu per Leptim? (v. Herod., IV, 175, apud quem Macæ struthiocamelinis pellibus scuta tegere dicuntur). Ovis plumas recte adjunges (Plin., X, 1).

Sal Emporiis suppeditabant et Libyæ interioris lacus (sebka Amadghor, etc.) et fossilis salis massæ in deserta Libya jacentes quas Herodotus memorat (IV, 181-185, cf. Plin., V, 5), et Tritonidis lacus oræ, necnon et Syrtici maris littora. Cujus partem in piscibus condiendis adhibebant, partem vagis gentibus, si quæ indigerent, nundinabantur Pœni, reliquum vero exportabant.

Aurum, quod in interiore Africa tantopere abundat, quam simplici compensatione Pœni, in Oceani littore, mercibus advectis mutarent, apud Herodotum legere est (IV, 196). Et illud Nomades ad syrtica Emporia videntur attulisse (Heeren, IV, 207-208).

Gemmæ e Garamantum regione veniebant. Quarum monopolium sibi Carthago vindicabat, unde nomen, apud antiquos, Carchedoniis lapillis inditum : « Ἡ τῶν

Γαραμάντων γῆ..... ὅθεν οἱ Καρχηδόνιοι κομίζονται λίθοι. » (Strab., XVII, iii, 19). « Garamantici (carbunculi) quos et Carchedonios vocavere » (Plin., XXXVII, 7). Has quoque « Syrtitides gemmas » idem appellat, ejus unde advehe-rentur locis habita ratione (XXXVII, 10). Aliæ vero in nundinis Leptis venibant, ex Æthiopia, per Troglodytas tractus illius quem Harudj-el-Abiad vocamus, invectæ (Plin., V, 5).

Dives ebeni (Herod., III, 14) australis Æthiopia, quam nigri homines incolebant : hoc summi pretii lignum in punica Emporia Garamantas attulisse per se verisimile est ; forsan et cornua rhinocerotum, ab Agisymba (Ptolem., I, 8).

Nigros denique servos Garamantes, captivis plurimis in perpetuis contra vicinos Æthiopas bellis (Herod., IV, 183) potiti, vix dubium est quin Pœnis venumdarent, in Europæas gentes transvehendos (Terentius, Eunuchus, act. I, sc. 2 ; act. III, sc. 2. Cf. Heeren, IV, 185).

Mercatorum comitatus, per quos a partibus australibus in Emporia commeatus affluebant, erant qui temporis nostri speciem referrent : merces jumentis impositæ, seu equis, quos ad bellicos currus Garamantes jungebant (Herod., IV, 183) et quorum in Æthiopia quæ ad occidentem vergit magna copia erat (Strab., XVII, iii, 7) ; seu camelis qui, quamvis sileat Plinius, opinione antiquiores in Africa videntur ; camelus enim in nummis Cyrenarum incidebatur (L. Müller, *Numismatique*) et quatuor millia camelorum Leptitanis imperavit, quarto P. C. sæculo, barbaros Austurianos in deserta insecuturus, Romanus comes (Amm. Marcell., XXVIII, 6). Aqua, ut fit hodie, in utribus ad jumentorum armos ligatis auferebatur (Strab., *ibid).*

Sed et alii, diversi generis, comitatus erant, plaus-

tris utentes, quæ gibberi boves (*Zebu*) trahebant. Bos *Zebu*, « cujus magna in Lybia interiori (Soudan) copia est » (Duveyrier), non alius est sane ac bos ille Garamanticus quem Herodotus (IV, 183) et Plinius (VIII, 45) descripserunt. Qui fuerint hi comitatus, mira docent monumenta : in loco Anaï, MCCCL stadiis circiter ultra Mourzouk, inventæ sunt incisæ in saxo imagines « apparatum referentes plaustrorum cum rotis, quæ trahunt gibberi boves et ducunt homines » (Duveyrier, 221, 258); ad stationem Telî-zzarhê, inter Mourzouk et Ghât, similes imagines in saxo repertas Barthius adumbravit (*Reisen und Entdeckungen*, etc., I, 207-217).

Nonnunquam semetipsos comitatibus Pœni junxerunt : « Mago Carthaginiensis ter Africæ deserta aquis carentia peragravit, sicca polenta victitans absque potu... » (Athenæus, ed. Schweighäuser, I, p. 169). Qui tamen mercatorum in Emporiis consistentium mos sæpius erat.

Sed jam satis de commeatibus ex interiore Libya advectis. Nunc ad ea pergamus quæ minor Syrtis ipsa et vicina χώρα præstabant :

Pisces plurimis sane in locis captabantur qui in salsamentariis Zuchis lacus et aliorum locorum officinis condirentur. Circa « magnum emporium » minoris Syrtis (Tacapen), per brevia, æstu refuso, ad captandos pisces incurrere solitos fuisse incolas docet Strabo. Similiter etiam nunc Djerbæ et in insulis Kerkenah se res habet (de ratione, v. Guérin, I, 174; Féraud, *Revue Afric.*, n°s 119-120). Cercinæ vidit Guérin « longam molem, cujus supersunt conspicua adhuc vestigia », quæ ex sinu lacum efficiebat, nunc, diruto aggere, in sinum rursus mutatum. Lacus hoc modo conclusus nihil aliud est, credimus, quam ille de quo Herodotus, in Cyrauni,

nescio quod narrat (IV, 195). Quod si concedas, punicum opus est moles. Cur autem exstructa? Quod e republica esset? Quod incolarum commodis serviret, qui « longum ambitum » ut ait Guérin, eo modo vitassent? Neutrum satis placet. Forsan ea erat moles, pluribus locis aperta atque pertusa, velut in Commachio (Reclus, I, 367), ut in magnum vivarium [1] lacus mutaretur.

Spongiæ nunc in minore Syrti scatent et diligenter captantur : « à Sfak's, une seule maison française..... emploie plus de 400 bateaux de pêche pour la recherche des éponges... » (Tirant et Rebatel); cf. Barth., p. 260, de spongiis marinis evulsis ad vicum Houmt-es-Souk, in insula Djerba. Quod quidem jam in antiquis temporibus quæstui erat ac fructui : « Africis (spongiis), quæ generantur in Syrtibus.... » (Plin., IX, 45). Nec id sane Pœnos fugerat.

Conchylia (purpura, murex) in eodem littore abundabant : « Tyri præcipuus hic (ros purpuræ) Asiæ; in Meninge, Africæ. » (Plin., IX, 36). Etiam, credimus, in Zuchis lacu, ubi purpurarias officinas Strabo notat (XVII, III, 18). Quarum splendida textilia Nomadum duces Numidasque reges ornabant (Silius, XVI, 176). Vergente ad finem imperio romano, Girbæ purpurariis officinis præerat adhuc Cæsaris procurator (*Notitia Imp. Occid.*, c. XXXIX).

Silphium denique Cyrenaïcum non omittatur, quod quibus artibus in Charace Pœni compararent, externis populis, vel Græcis ipsis venditandum, jam supra narravimus (v. cap. VII; cf. Thrige, p. 329). Quod pretio temperatum proponere iis licebat, vilissime quidem emptum.

1. Gallice : madrague.

Præter illa quæ in ipso Syrtium littore nascebantur, aderant in Emporiis quæcumque universum ferebat Pœnorum imperium : Libyæ superioris (Djérid) palmulæ, Thalæ gummi, Meningis et Byzacii olea, et insignia Melitæ textilia (v. Movers, II, 354-355) et arma, ornamentaque et utensilia ahena, Phœnicum opus in primis, maximo pretio vagis Libyæ populis, cupro carentibus (Duveyrier, 142); dein ferrea instrumenta quæ nequibant Nomades, deficiente ligno, per semetipsos conficere (ibid.). At præsertim advectum e Byzacio frumentum. Cujus regionis quanta fuerit ubertas, neminem fugit (Plin., V, 4; XVII, 5; XVIII, 10); ea enim et Carthaginem ipsam et punicos exercitus et insuper vagas tribus alebat. Frumentum sane ab occiduis portubus (Thapso, Alipota, Acholla, Usilla, Thenis) ad australes (Tacapen, Hedaphtham, Gichthin, Meningem, Zuchin, Sabratam, etc.) transvehebatur, quod Nomades illuc in hiberna hospitia convenientes emerent; sic præsertim gentes obnoxiæ Carthagini, quam penes erat, si res postularet, eas fame conficere. Ex eo frumentario commercio, omnium amplissimo, suum erat Sabratæ nomen inditum.

Vinum quoque vicinis populis Pœni præstabant, quod quidem mercaturæ Characis testantur, de quibus Strabo supra. Vinum etenim maxime barbaris populis acceptum, apud quos vites erant nullæ (Herod., III, 20-22). At quum punica Libya parum vini afferret, externis e regionibus pœni mercatores expromebant, tum ex suis Oceani emporiis (Movers, II, 529 ; Tissot, *Maurétanie Tingitane*, p. 51), tum ex Hispania et ceteris Europæ Asiæque maritimis regionibus, forsan etiam e Cyrenis!

Nunc ad ea quæ externis e gentibus sumebantur veniamus ; omnia sane quæ, in Europa Asiaque fabricata,

barbaros sollicitabant; quorum aliqua, ob Cernes emporium, Scylax notat : « Attica figlina et magna vinaria vasa, id est congios, Athenis empta, in Congiorum festo; aromata, e Phœnicia; vasa vitrea, ex Ægypto (v. C. Mülleri notas, Geogr. Gr. min. I, 94, 95). » Adde arma et ornamenta, qualia Cambyses ad Æthiopas miserat (Herod., III, 20-22).

Hac ampla et continua mercium permutatione, in qua pecunia primo nulla erat (Herod., IV, 196), posterius utique parum usurpata est [1], ditissimos quæstus [2] punici agri Emporia percipiebant; unde ad tantum felicitatis gradum illæ urbes pervenerunt, quem et ipsarum numerus et ruinarum nunc adspectus testatur. Illo enim in littore, hodie vasto et egeno, exstabant a promontorio *Caput Vada* urbes Ruspæ, Usilla, Taphrura, Thenæ, Macomades minores, Cellæ Picentinæ, Tritonis emporium seu Neapolis, Tacape, Hedaphtha, Gichthis, Zita et Gergis, Zuchis, Pisindon portus, Sabrata, Bilan, Macaroea, Gaphara et aliæ insuper quarum ad nos non pervenit nomen, vestigia vero supersunt (Guérin, I, 161-162). Inter omnes vero, præter directos in Carthaginem commeatus, circumvectionis commercium florebat (Scylax, Strabo). Universæ quasi ovi dimidiam partem figurabant, cujus ferme in extremis jacebant Meninx et Cercina; quocirca, ad Cercinam et Meningem omnia sane vergebant tractus hujus commercia : Μῆνιγξ καὶ Κέρκιννα Λιβυστικὸν ὅρμον ἔχουσαι, inquit Dionysius in Periegesi. Hic congestus magnus frumenti numerus (Hirtius, *de B. A.*, 8, 34); huc conveniebant ab oriente na-

1. Non ante alteram quarti seculi partem punici nummi, ut videtur, signati sunt (L. Müller, *Numism.*, II, 71).

2. « Les bénéfices du commerce Saharien sont énormes. » (Duveyrier, p. 258).

ves (T. L., XXXIII, 48). Insulæ Cercina erat « urbs bene ordinata, σύμμετρος » (Diod., V, 12), id est recens (cf. Aristot., *Polit.*, VII, 11, ed. Bekker); portus adde optimos, quibus non modo onerariæ, verum etiam longæ naves appellebant (Diod., ibid.). Mercatorum statio præsertim erat insula; quare rari cultores (T. L., XXII, 31.). Cui quondam decem talenta classis romana imperavit, tenue profecto tali emporio stipendium! at quid darent hodie insulæ Kerkenah? Quam crebra consuetudine cum vicinis Byzacii portibus Cercina jungeretur, indicio sunt duo Achollæ nummi et unus Hadrumeti, Augusto principe signati, qui et Cercinæ signum præbent (L. Müller, *Numism.*, II, 60-61). Quæ quidem fere omnia, vides, post eversam Carthaginem referuntur. At, si id momenti Cercina tum obtineret, quanto magis, florentibus Emporiis, amplum fuisse existimes!

Quanquam minus nota, non minus videtur Meninx floruisse. Cercinæ plane dissimilis, et frequentia hominum, et artibus, et agricultura vigebat; sed e situ maxime illius pendebant opes, quum huc, tanquam in medium locum, minoris Syrtis commeatus vergerent et navigantes ab Oriente appellerent.

Qui quidem singuli portus, propter brevia et refluentem æstum, haud appulsu faciles erant. Itaque cum orariis navibus, quales hodie *Chabek*[1] vocantur, negotiatores littus prælegebant. Merces e longinquo onerariis advectæ (γαῦλοι, ut ait Scylax in Cerne) parvis navigiis imponebantur, μικροῖς πλοίοις, inquit Scylax eodem in loco. Putamus esse ea ἀκάτια, quorum in Polybio mentio incidit (I, 73) nec differre ab hodiernis navigiis, *loud* vocatis, quibus planus est alveus, vadis illis admodum accommodatus.

1. « *Gâreb* » apud Barthium, *Reisen*, etc. p. 5 et sqq.

Quum tantæ igitur et tam variæ opes in occiduis Emporiis cumularentur, copia erat Carthagini ex iis, certam propter fidem (v. cap. IV, p. 66), omnia quæ ad rem frumentariam et quaslibet res publicas apparandas deerant, expromere : « χορηγίας καὶ ἐπισκευὰς (Polyb. I, 72) ; ἀγορὰς..... περί τε τῆς τροφῆς καὶ τῶν ἄλλων ἐπιτηδείων (Id., I, 82). Ibi magnum frumenti receptaculum, vanam Pœnorum spem post Zamensem cladem, Annibal constituerat (App. VIII, 56).

Itaque non solum magni momenti erant Emporia, quod in iis ditescerent Pœni coloni et mercatores ; reipublicæ insuper tanquam vastum receptaculum, ex quo semper hauriebat, patebant. Ad hoc, eorum portoria civitati largissimos fructus afferebant, qui quidem quanti valuerint docet Livius (XXXIV, 62), ad annum 193, haud ita multo post Zamense prælium, quo scilicet tempore Masinissa jam Emporia appeteret ac lacesseret. In his autem verbis, sæpe laudatis, nunquam vero adhuc recte interpretatis, Livius Polybium, ut credimus, auctorem secutus est : « Masinissa *agrum maritimum* eorum [Carthaginiensium] et depopulatus est, et quasdam urbes *vectigales* Carthaginiensium sibi coegit *stipendium* pendere. Emporia vocant *eam regionem;* ora est minoris Syrtis et agri uberis ; una civitas *ejus* Leptis ; *ea* singula in dies talenta vectigal Carthaginiensisibus dedit... »

Omnia ibi ad rem pertinent : *Ager maritimus* est Carthaginis maritima χώρα, a Thenis usque ad Leptim ; *Leptis* est Leptis major (non Leptis minor, ut tam multis historicis placuit, Mommsenio inter alios) ideo quod Leptis minor, longe a Thenis ad septentriones sita, ad regionem quam nec Masinissa nec posteri Numidarum reges unquam sibi vindicaverunt pertinet. *Singula in*

dies talenta vectigal Carthaginiensibus non una Leptis pendit, ut omnes post Heeren dictitant (Moversius, Mommsenius, etc.); id in totum universa pendunt Emporia. Quod quidem ut manifesto appareat, satis est Livii verba relegere [1].

1. Ceterum, quæ proprius fidem sint, spectemus : una Leptis Carthagini CCCLXV talenta per annum attulisset, populusque romanus, post Zamensem victoriam, CC tantum ab ipsa Carthagine exegisset?..... Carthago autem, ab una urbe CCCLXV talenta annua percipiens, in eo fuisset ut tributum CC talentorum solvere non posset! (T. L., XXXIII, 46). Urbs una, cui commercium modo terrenum subsidio erat, CCCLXV talenta Carthagini suppeditasset, quum Phœnicia et Palestina et Cyprus una CCCL modo Dario regi obtulissent! (Herod., III, 91.)

CAPUT DUODECIMUM

DE EMPORIORUM HISTORIA

CAPUT DUODECIMUM

DE EMPORIORUM HISTORIA

Nunc, servato temporum ordine, referemus quæ de Syrticis emporiis ad nos pervenerunt, nec tamen ea inter se religare tentabimus, adeo vastis intervallis dissidentia.

VI° *A. C. sæc.* — Anno 517 A. C., Pœni, Macis adjuvantibus, Doricam coloniam apud Cinyphem conditam subvertunt; anno 509, Syrtico mari Romanos prohibent fœdere, ut jam antea ceteros occidentalem partem interni maris circumsedentes populos prohibuerant.

V° *A. C. sæc.* — Libyam maritimam, circa annum 450, ab orientali fine Cyrenensium usque ad Cyraunin (Cercinam) insulam Herodotus exsequitur; sed, quum Libycos tantummodo populos quibus tum minabantur Persæ spectet, de punicis hujus littoris urbibus nihil habet quod dicat.

IV° *A. C. sæc.* — Novum inter Pœnos et Romanos fœdus, anno 348 ictum, paucis verbis admonet Syrtico

mari interdici, edicto insuper ut eadem lege alia littora teneantur (v. cap. VIII).

Nondum infecto sæculo eodem, scriptam esse ducunt Peripli qui Scylacis dicitur eam partem quæ ad oras Libyæ pertinet. Qua diligenter inspecta (v. appendicem A), portus quos non subit navarchus eos esse quibus arcebatur ratum ac persuasum habemus. Idem colliges, si tempus respicias : qua enim tempestate maris occidentalis nautas syrticis littoribus Pœni prohibebant, quid causæ erat cur ibidem, nisi quam parcissime, ab oriente venientes exciperent?

Ad inceptum Agathoclis veniamus (310-307 A. C.). Cujus miras vices edisserere non consilium est; satis erit probare Emporia, etsi de his nec apud Justinum nec apud Diodorum mentio occurrit, non semel spectasse vel attigisse Græcos in his temporibus. Quæ voluntas Agathocli fuerit, omnibus notum : nempe obsidione liberare Syracusas, Pœnos domi deprehensos opprimere, Libyphœnices socios, jampridem Carthagini offensos, ad deficiendum inducere, « ac præsertim, ut inquit Diodorus, nondum depopulatum agrum (χώραν ἀπόρθητον) compilare, in secundis rebus Carthaginiensium variis opibus affluentem...... » (XX, 3). Ea enim ætate ubique sunt mercede conducti milites quibus erratici duces (heroas dicemus?) præsunt, Demetrius Poliorcetes, Pyrrhus, etc.; et quum bello bellum maxime alatur, prædam assidue meditatur Agathocles, ne deseratur a militibus, per quos solos viget regnatque. Inde jam providendum eum, si direpto Byzacio ultra prodeat, non ad occasum, in rupes montis Atlantis et egena mapalia Numidarum, sed meridiem versus iter factum, scilicet in opulentissima minoris Syrtis Emporia.

Etenim Syrtici maris in oram (Neapolim, Hadrumetum, Thapsum), ut interclusam Carthaginem mancam et debilem jam fore sperat, quamprimum irruit, hac iri ad Emporia non nescius.

Quo in tractu, si Diodoro fides adhibeatur, « supra ducentas urbes capit ». Quicquid et de vocabulo ipso urbibus (πόλεις) et de earum numero sentiendum est, haudquaquam sinit Diodori narratio hæc loca quæri nisi secundum Syrticum littus, ad meridiem a Thapso. Tum demum Libyæ superiori arma inferre Agathocles destinat : « Ἐις τοὺς ἄνω τόπους τῆς Λιβύης διενοεῖτο στρατεύειν. » Quam vero regionem obscura ista indicant? Piget quidem hoc verbo ἄνω *altitudinem* subjicere, scilicet montana ad occidentem sita audire, in quibus tenue lucrum, magna pericula Grœcos manebant. Satius est in sententiam *latitudinis* verbum accipere, et pro *superiore* Libya *australem* Lybiam legere, scilicet Emporia circa minorem Syrtim et Tritonidem lacum posita. His tantum locis prædarum satis inerat, quibus mercenariorum militum ductor inhiaret.

Mutata in melius fortuna Pœnorum, Tunetem Agathocles regressus est nec Emporia iterum invasit. Sed duo alii duces, hoc eodem bello, videntur Emporiis vim intulisse, Ophellas, ut subigeret, Eumachus, ut expilaret.

Cyrenis Ophellas regnabat. Jampridem Doribus qui Cyrenas obtinebant propositum erat ditionem et agros ad occasum continuare, Syrtium emporiis potiri, jubente assidue Pythia, gentili oraculo (v. Pindarum, IV, Pyth.; cf. Herodot., IV, 150-160, etc.). Darius, Cyrenas adeptus, populare hoc consilium suo nomine suscepit (Herod., IV, 167), sed persequi non valuit. Dorici tamen instituti non cesserat memoria, imo reviviscebat quo-

tiescumque in Pentapoli, nimias inter opes atrocibus discordiis laboranti (Thrige, p. 189-192), bellicum quodvis robur appareret. Sic, adhuc regnante Alexandro magno, ductor quidam mercenariorum, Thymbro, Cyrenaïcis urbibus auctor est jungendæ cum eo amicitiæ (Diod., XVIII, 19), ad subigendam « finitimam Libyam », scilicet Syrticam oram, australes profecto solitudines homine non expetente. Quid? num ut colonias huc deducat? Hoc sane proferre debuit erro miles, quod unum, jam ducentis prius annis tentatum, Doricis civitatibus placeret. At ipse non tanta molitur : præstando jamjam militibus stipendio intentus, non secus Emporia habebit, si manum iis injiciat, atque eodem temporis puncto habet navale Cyrenarum : « διήρπασε..... τῶν ἐμπόρων τὰ καταλειφθέντα χρήματα ἐν τῷ λιμένι, καὶ τοῖς στρατιώταις εἰς διαρπαγὴν ἔδωκεν..... » (Diod., ibid.) Iisdem de causis, quibus Agathocles, Thymbro Emporiis imminet.

Interea Cyrenæ, quæ Thymbronem respuunt, « a finitimis Libyibus et Pœnis » arcessunt auxilia. Hi finitimi Libyes, quorum ita nomen Pœnorum nomini consociatur, sane sunt iidem quibus Thymbro minabatur, nempe Syrticæ gentes, Cyrenis occasum versus adjacentes, Carthaginis in amicitiam receptæ, Nasamones, Macæ, etc. Ceterum, quum Pœni armati interfuerint et Cyrenis tulerint opem, patet satis superque Syrticis Emporiis a Thymbrone fuisse periculum.

Thymbro autem, parta primum victoria, mox Ptolemæi armis opprimitur. Dein succedit Ophellas, qui tum Alexandri sodalis, tum Ptolemæi legatus fuerat, dehinc « Cyrenaïcæ viriumque haud contemnendarum (δυνάμεως ἀδρᾶς) potens evaserat, » (Diod., XX, 40, ad annum 308), scilicet mercenarios alebat. Is agitabat animo totam Africam, si Diodoro et Justino prorsus fides adhibenda

est, ditionis suæ facere, non indignus sane qui sub Alexandro meruerit. Veri tamen similius est Cyrenensem tyrannum in primis ea, in quæ jampridem oculos Cyrenenses conjiciebant, Emporia punica spe amplexum fuisse. Adde veterem persequendam injuriam, illicitas Pœnorum in Charace mercaturas [1].

Quas conditiones societatis Ophellæ Agathocles proposuerit, ne miremur : « Se illi Libyæ imperium libenter concessurum, quum sibi satis sit Siciliam, necnon et Italiam, obtinere... » Quæ, nisi vera, at sana et æqua sunt. Quid enim Agathocles, postquam in diripiendis Emporiis in perpetuum dives factus fuerit, de eorum imperio certet cum Ophella, præsertim si, Carthagine debellata, tota sibi Sicilia permittatur?

Exercitum igitur Ophella comparante, Cyrenas concurrunt tum ex Athenis, tum e cetera Græcia milites, ἐλπίζοντες τήν τε κρατίστην τῆς Λιβύης κατακληρουχήσειν καὶ τὸν ἐν Καρχηδόνι διαρπάσειν πλοῦτον (Diod., XX, 40). Duæ res in his verbis aguntur, quorum hæc vana (διαρπάσειν), illa autem seria (κατακληρουχήσειν), et Dorium pristino de coloniis deducendis instituto, et Pythiæ consilio plane respondens. Hac « Libyæ potissima parte » indicari videtur non tam Byzacium, cujus bonitas externis populis vix notescebat (Scylax), quam Syrticum littus, cujus eximiam fertilitatem vetus fama apud Dores jactabat.

« Ad decem millia hominum, minime centuriata, exercitum sequebantur, plurimis mulieres, pueros, apparatus omnis generis secum ducentibus, adeo ut coloniæ (ἀποικίας) speciem exercitus referret » (Diod., XX,

1. De Ophella, vide appendicem nostrum de Scylace, sub fine. Qui quidem, si non falsa conjecimus, de Emporiis Syrticis quam qui maxime audierat.

41). Jam prope est ut magnum Cyrenense, aut potius Doricum, propositum absolvatur.

De audaci itinere Ophellæ circa Syrtes (tum primum asperam hanc viam pedestris exercitus aggressus est) pauca quidem accepimus; scilicet eum octo et decem diebus a Cyrene ad Automala pervenisse; inde castra posuisse, ut videtur, apud ostium fluminis Oued-ech-Chegga, sub antiquo Hippou-Acra oppido; multa dein perpessum fuisse quum transmitteret, inter flumen Oued-ech-Chegga et flumen alterum Oued-Bei, arentes et arenosas Psyllorum solitudines, MC stadiis longas, serpentibus infestas (cf. Plutarchum, *Catonis minoris in vita*, cap. LXIV; tanta insuper, circa minorem Syrtim, laboravisse annona, ut « arboris loti fructu diebus pluribus, commeatuum defectu, pastus sit exercitus » (*Theophrasti Hist.*, lib. IV, cap. IV); Agathoclem denique, duobus mensibus ex quo ab Automala decesserat, sub finem mensis septembris annis 308, attigisse. Nec tempus suppetierat, profecto, ut Syrtica Emporia obsideret, nec credere est ea sponte portas illi aperuisse. Carthagini quidem male volebant Libyphœnices Lepti vel Oeæ consistentes, sed non adeo ut Cyrenensi mercenariorum ductori se dederent. Ceterum, vel solo adspectu colonorum quos trahebat Ophellas, æstimare poterant Libyphœnices suis ipsorum fortunis primum omnium periculum esse. Quapropter ne commeatus quidem ante muros decurrentibus contulerunt, testibus tum Diodoro qui famem a Psyllorum solitudinibus denuntiat, tum Theophrasto ex quo comperimus quæ in conspectu horreorum Sabratæ penuria fuerit.

Ophellam Agathocles interemit et copias ejus sibi adscivit; colonorum autem pars in itinere perierant, pars Ophellam ad extremum erant sectati, quos Aga-

thocles, cui minime coloniæ cordi erant, expeditis viis extrusit (Diod., XX, 44). At conjectura probabile est nonnullos in emporiis semirutis Cyrenaïcæ adjacentibus consedisse (v. infra).

Nunc ad Eumachum transeamus, qui legatus Agathoclis superiori Libyæ, anno 307, bis bellum intulit. Cujus miros cursus explicare nunc supervacaneum est, duobus locis tantum notatis :

1° Hunc Eumachum eumdem esse atque illum, quem Phlegon Trallianus laudat [1], *Periegesis* auctorem, « fossam » memorantis qua Pœni proprium agrum cinxerant, conjicere non dedecet.

2° Eumachus, inquit Diodorus, « in superiora loca, εἰς τοὺς ἄνω τόπους » ire jussus est (XX, 57) ; — « in Libyam superiorem, εἰς τοὺς ἄνω τῆς Λιβύης τόπους. » (*id.* 58). — Jam vero dixit noster, sub primo Agathoclis incepto : « εἰς τοὺς ἄνω τόπους τῆς Λιβύης..... » (*id.* 17). Idem valent hi omnes dicendi modi, scilicet « Libyam superiorem » indicant, ultra Tacapitanum isthmum, ut jam conjecimus, porrectam. Non ad aliam regionem devenimus, bina Eumachi itinera diligenter inspicientes. « Libya superior » in Diodoro appellatur quæ in Herodoto « Libya Nomadum, ἡ Λιβύη τὴν οἱ Νομάδες νέμουσι..... » Adeo quidem depravata occurrunt nomina urbium a Diodoro laudata ut ea restituere inconsultum sit : res autem singulas si spectes, credas Eumachum primum propter Syrticam oram iter tetendisse, Emporia videlicet expugnasse et diripuisse, quod facinus voluerat Agathocles nec potuerat Ophellas exsequi; deinde, ultra Tritoni-

1. Phlegontis Tralliani fragmenta *(Fragm. Historic. Græc.,* ed. Didot, t. III); nisi forte illi alteri Eumacho, neapolitano, qui historias Annibalis, teste Athenæo (v. *Fragm. Historic. græc.*, ed. Didot, t. III, p. 102). composuerat, periegesis illa adscribenda sit.

dem lacum, meridiem versus, perrexisse. Hanc quidem conjecturam, cui fidem faciunt tum singuli quidam loci tum universa Diodori narratio, minus veritati repugnare certe existimabis quam illam alteram Meltzeri (p. 401) qui, primam urbem ab Eumacho expugnatam, Τώκας, eamdem esse ac Tuccam aut Tuccam Terebenthinam ratus, « superiorem Libyam » occasum versus, ad juga montis Atlantis, quærendam arbitratur.

Quid multa? sex millia et quingentos milites ab Agathocle desertos trecentis talentis Carthago donavit, quas tenebant urbes ut recuperaret; trecentis Agathoclem ipsum. Sic tyrannus auro potitus est cujus causa viam Emporiorum inierat, sine quo nec exercitum nec imperium retinuisset. Urbes vero quas tanti Pœni redemerunt in interiore Byzacio sitas fuisse non credimus; nam ibi præsidium externum stare minime potuisset; potius maritimas urbes, hinc Uticam et Hippoacram illinc civitates Libyphœnicum et minoris Syrtis Emporia intelligimus. »

Consilium vero Agathocles non prorsus omiserat : « validum navalem exercitum constituit; Libyam enim reverti cogitabat, Phœnicesque ne frumentarios commeatus e Sardinia aut Sicilia reciperent hujus classis ope prohibere, quum in priori bello saluti iis fuisset mare obtinuisse » (Diod., XXI). Cur Diodorus, Siciliæ et Sardiniæ commeatus quum referat, omittit quos præstitissent Emporia? Nempe quia Emporiis potitus erat Agathocles. Hoc loco confirmantur obiter quæ supra jam conjecta fuerunt.

Non videmus tamen qua de causa, apud Diodorum aut potius apud siculos historicos quos ille ut fontes adhibuit, nusquam Emporia nominentur.

Aspida locum colonis frequentasse Agathoclem Strabo docet (συνῴκισεν, XVII, III, 17). Quantum hic profuerit ad traducenda omnia e Sicilia in Libyam optime demonstravit Meltzerus (p. 383). Adde vero hoc præsidio intercludi commeatus ex Emporiis missos, si qui fuerint, et Carthaginis quasi obsidionem absolvi; simul hanc primam esse stationem ad minorem Syrtim naviganti.

Amoto Agathocle, sua quidem circa Syrtes Pœni receperunt, sed non omnia, teste Strabone, qui Euphrantæ Turris nomini hoc subjicit : « ὅριον τῆς πρότερον Καρχηδονίας γῆς καὶ τῆς Κυρηναίας τῆς ὑπὸ Πτολεμαίῳ..... » (XVII, III, 20). πρότερον, ut nobis videtur, tempus ante punica bella significat; Ptolemæus autem, nullo cognomine apposito, Ptolemæus Soter est habendus, Lageæ stirpis auctor, Ophellæ et Agathoclis æqualis [1]. Quem jam, post Ophellæ necem, hereditatem ejus, videlicet Cyrenaïcam, excepisse compertum est; consentaneum est huc accessisse nonnullam partem regionis quam Ophellas armatus peragraverat vel colonis frequentaverat, ideoque Carthaginem, in Syrtibus recipiendis, stetisse ubi arma Ptolemæi occurrerent, ad turrem Euphrantæ.

Ptolemæo sane mens erat, quum majoris Syrtis hanc partem apprehenderet, recludere pristinam viam qua mercatores antiquitus, priusquam Pœni prohibuissent, uti consuerant. Quod consilium decet unum ex illis regibus qui urbes Cyrenaïcas instauraverunt, portus Berenice et Myos-Hormos condiderunt propter Rubrum mare Niloque viis celebribus conjunxerunt. Sed hanc regionem non diu tenuerunt; etenim auctor est

1. Οἱ ἀπὸ τοῦ Πτολεμαίου βασιλεῖς » (Strab., XVII, I, 5)

Polybius aras Philœnorum, tempore secundi punici belli, Carthaginiensium fines rursus attigisse (III, 39; X, 40). Quod prospere Pœnis successisse per simultates Ptolemæi Philadelphi cum fratre Maga, subregulo Cyrenarum, Meltzerus opinatur (p. 351, 412) neque aliter nos sentimus. Inde fit ut, jam ineunte primo bello punico, Carthago sua receperit [1]. Quamobrem non ausimus asseverare tunc reseratam fuisse, in hoc angusto quinquaginta annorum intervallo, viam a Zella ad majorem Syrtim. Illam autem alteram quæ a Zella Cyrenas ibat, quam temporibus Herodoti nondum usurpatam et Agrippa, pluribus post seculis, in *Orbe picto* descripsit et Plinius persecutus est (V, 5), eam tantum cœpisse institui verisimilius est postquam Ptolemæis regibus ager inter Turrem Euphrantam et Philœnorum aras jam raptus a Pœnis fuerit.

III° *A. C. sæc.* — Anno 279, renovatur pristinum inter Romanos et Pœnos fœdus. Quum enim Pyrrhus, hinc de imperio Græciæ magnæ cum Romanis certaret, illinc Siciliam, defuncti decem abhinc annis Agathoclis gener, Carthaginiensibus contenderet detrahere, imo « Libyam affectaret » (Plut., *Pyrrhus*, 30), ad communem hostem propulsandum utrique societatem inierunt, redintegratis omnibus priorum fœderum conditionibus (Polyb., III, 25). Unde apparet, quindecim annis ante primum punicum bellum, Syrtico mari Romanos adhuc prohibitos fuisse.

Magnum tandem duellum incipit (anno A. C. 264), plerumque in Sicilia decertatum, ubi, quinque et viginti

1. Medio hoc bello, amicum Pœnis Ptolemæus Philadelphus se profitetur (App. VI, 1), unde colliges iis satisfactum fuisse.

annis post Agathoclis mortem, vivida adhuc bellorum ejus Romanis memoria obversabatur, quin et superstites ejusdem commilitones quosdam consulere licebat [1]. Hinc exortum audax M. Atilii inceptum, cui duces itineris fuisse veteres præclari Pœnorum hostis socios vere credas ; apud Aspida enim, quod sibi in littore « punici maris » præsidium tyrannus molitus erat, consulis exponitur exercitus, et nihil est præterea in hac Romanorum expeditione quod Græcorum itineris anno 310 nos non admoneat ; excepto tamen quod ille, mercenariorum ductor, vix circumvallata Carthagine, ad Emporia advolat, hic autem, romanus imperator, Carthagini soli infensus, urbi hæret atrociter.

Annis sequentibus, ipsa ad Emporia Romani videntur contendisse. Jam equidem quantum « mare punicum » horrerent diximus ; at Pulchrum promontorium, revera, M. Atilius prætervectus terrestri dimicatione oppressus fuerat, non navali ; eodem reverterant, anno 255, cum trecentis quinquaginta navibus et, classe punica in conspectu Hermæi promontorii fusa, delati usque ad Aspida præsidium ab oppido deduxerant (Polyb., I, 36), ideoque triumpho navali [2] ornati fuerant Serv. Fulvius et M. Æmilius consules. Igitur, via quasi patefacta, mare punicum classis romana iterum tentat anno 253, et recta via cursum in Emporia dirigit (Polyb., I, 39). « Classem universam », scilicet trecentas naves (*id.*, 38) ducebant Cn. Servilius et C. Sempronius consules. Si trecentis remigibus, ut apud Ecnomum, singulam navem instructam fuisse ponamus, nonaginta millia jam navales copiæ, militibus omissis, explebant. Internum

1. Bosworth Smith, *Carthage and the Carthaginians*. 1878, p. 59.
2. Acta Triumphorum Capitol. C. I. L. t. I, p. 458.

mare nusquam postea vidit tales apparatus. Nunquam adhuc Romana, imo externa classis (quod sciamus) Syrtes violarat, quibus protegendis nullam, eo anno, dedisse operam videtur Carthago. Attamen ei erant CC naves, forsan et CCLXXXVI (Polyb., I, 36, 38), sed quæ seu paverent, seu urbem tegerent, seu e navalibus nondum extractæ fuissent, nusquam hosti occurrerunt. Emporiis solum præsidium fuit terror quem iis circumdederant Carthaginienses.

« Navigantes præter maritimum agrum (τὴν χώραν), plurimis locis exscensiones faciunt (consules) ; nulla tamen re memorabili gesta, ad Meningem deveniunt..... » Ibi naves Romanæ, inter ignota scitis gubernatoribus destitutæ (διὰ τὴν ἀπειρίαν), in vada quibus insula quasi munitur illapsæ sunt, prætermisso, ut credimus, aditu canalis quem Boukal vocant (v. C. Müller., tab. XXII). Tum, recedente mari, graves sederunt quinqueremes... Quantus terror Romanos invaserit, facile complecteris animo, quippe qui nondum aut veneticum sinum aut Carthaginem novam invisissent. Non ita tribus post seculis pavebunt, et tale factum Silius Italicus quiete memorabit :

> Ac ratis erepto campis deserta profundo
> Et fusi transtris exspectant æquora nautæ, etc.
>
> (III, 45-60.)

At Servili classiariis non tanta securitas, ignotique periculi terrorem augebat vera propinqui nimium littoris formido, ne improvisi hostes adessent. Iisdem conditionibus temporum et locorum, octo et decem seculis abhinc, oppressæ sunt duæ Hispanicæ classes (v. Leonem Africanum, in gallicam linguam translatum, Lugduni, 1556, t. I, p. 291 ; cf. Smyth, *The Mediterranean*).

Sed jamjam, mirum! ex insperato redit fluctus... extemplo nautæ projiciunt quidquid rates allevaret, pronæ in latus naves ægre eriguntur, et Romana classis, Oceano sublevata, ad septentriones effuse fugit, procul a littoribus quibus præsidere ipse Neptunus videtur...

Inde apparet non solum Romanos, sed et Siculos, a minore Syrti fuisse exclusos. Sin aliter, qui classis Romana, quam nonnullos Siculos gubernatores conscendisse credendum est, tanta trepidatione perculsa fuisset? Emporia quidem attigisse Agathoclem jam diximus, sed terrestri, non maritimo itinere.

Clarum est classem eamdem, in reditu, inter Panormum et Ostiam, dum mare Tyrrhenum quo uti Romani adeo consuerant transmitteret, tempestate deprensam dimidium navium amisisse. Minus cavendum a Syrtibus quam a proprio ipsorum mari fateri Romanos æquum fuisset : sed non ita se res habuit : procella enim circa Æolias insulas, notum erat periculum et æquo animo subeundum ; reciproco autem Syrtium æstu, velut inaudito discrimine, mentes omnium commovebantur. Tanta hujus cladis opinio Romæ perlata est, ut pluribus seculis duraverit (v. cap. IX; Cf. Solinum, c. XXX).

Intra duodecim sequentes annos, dum finiret bellum, minime ad Syrticum mare Romani regressi sunt.

Exorto mercenariorum bello, ad seditiosos desciverunt iisque commeatus et pleraque auxilia suppeditaverunt Libyphœnicum civitates, quippe quibus præter modum justa et vera essent quæ quererentur. Stipendium enim ab urbibus, novissimo bello, bis in anno exegerant Pœni, immodicamque frumenti aliorumque commeatuum copiam per præfectos (στρατηγούς) extorserant. Agricolæ Byzacium incolentes, qui non minus vexati fuerant, ablato sibi vel dimidio frugum, primo quoque

signo in arma concurrerunt et ad septuaginta millia in castra rebellium ante Uticam et Hippoacram se contulerunt. Quare planum est Emporia minoris Syrtis, si Pœnorum in fide manserunt quo temporis puncto Urbem Matho et Spendius obsidebant, quo Utica in eo erat ut jam deficeret, quo Carthagini nulla classis supererat, nisi vilis et quasi extemporalis et quæ maritimos commeatus vix tueretur [1], id sponte fecisse nec eas habuisse causas, quas diximus, cur Carthagini succenserent; ob hoc præcipue, inter alia, Pœnis colonis frequentata fuisse opinamur.

Obsessæ Carthagini magnos commeatus Emporia misere, « tum alimentorum, tum aliarum rerum exercitui necessariarum », frumentum, pecora, ut videtur. Modicum iter conficiendum, quum a Tacape ad Carthaginem ipsam trium dierum noctiumque esset navigatione (M stadia unius diei noctisque navigatione conficiuntur, teste Scylace); vel si ponamus quinque dies totidemque noctes, restat utique promptam opem Urbi ferri potuisse. Sed quum penes hostem Neapolis (Nebel) non esse non posset, necesse erat commeatus Hermæum promontorium transveherentur, nec sine periculo, si Caurus sæviret; quo forsan in transitu depressi sunt.

Finiente bello, inter Tunetem et Leptim minorem in armis fuisse Matho videtur, maritimis Libyphœnicum civitatibus quasi innixus. At nusquam apparet bellum ad Emporia ipsa mercenarios intulisse.

Quo tempore secundum exarsit punicum bellum, Romani, qui jam duobus et viginti annis Siciliam obtine-

1. Polyb., I, 73. — « Magnis punicis classibus » rebellantes urbes obsessas fuisse Appianus contendit (VIII, 5). Polybium libentius sequimur.

bant et Lilybæi, Selinunte, Agrigenti versabantur, illi mari Punico, quod tantum horruerat prior ætas, nonnihil assueverant. Quapropter, vix facto armorum initio, ad propositum Agathoclis Regulique reversi sunt; Sempronio enim consuli, cui Africa cum Sicilia evenerat, militum sex et viginti millia, naves longas centum sexaginta, celoces duodecim (vada Meningis scilicet recordabantur) dederunt, in Africam transmissuro, « si ad arcendum Italia Pœnum alter consul satis esset. » (T. L., XXI, 17). His copiis superbiens, quibus subsidio aderant ampli apparatus (*ibid.*, 49), Carthaginem ipsam oppugnare Sempronius in animum induxerat (Polyb., III, 41). Primum omnium, Melita potitus est, cui præsidio erant duo millia militum (T. L., XXI, 51). Inde vero Lilybæum rediit, et quidem nimis celeriter. Ceterum, quum littus Italiæ classis punica infestaret et jam Alpes superavisset Annibal, Sempronium in auxilium collegæ senatus arcessivit; quare magna hæc classis dimissa, disturbatumque consilium in Africam trajiciendi.

At, nisi Carthagini, Emporiis saltem injuriam facere reliquum erat, quod jam tribus annis post victum M. Atilium cum omni classe tentaverant consules; haud secus post irritum Sempronii apparatum, minorem Syrtim classis romana incursavit. Anno 217, tum quum victor Annibal Luceriam insideret, nec ab Urbe abesset plus decimis aut duodecimis castris, mare punicum adiit Cn. Servilius consul, non equidem, ut Regulus et Sempronius destinaverant, exercitum fere sub ipsis Carthaginis mœnibus expositurus, quum Romanorum justi exercitus in agro Larinati, Fabii dictatoris ductu, contra Annibalem starent; at satis instructus cum centum viginti navibus et nonnullis tumultuariis militibus ad expilanda Emporia et lacessendum hostilem agrum.

A Lilybæo in Meningem recta via, ut antea, classis romana navigavit, et vastavit insulam, nec tamen urbem ipsam videtur oppugnavisse, quum nullam inde prædam revectam Livius ostentet; inde Cercinam invasit, quæ decem talentis se redemit : quinquaginta vero a Liparensibus Agathocles exegerat (Diod., XX, 101). Tum demum Servilius « ad littora Africæ accessit ». Scylacis iter esse credas (v. appendicem A) et classem romanam satis habuisse decurrere ante ora minoris Syrtis, aditus infestare, sinum ipsum subire minime ausam : « Ad littora Africæ accessit copiasque exposuit (Servilius). Inde ad populandum agrum ducti milites navalesque socii juxta effusi, ac si insulis cultorum egentibus prædarentur... » (T. L., XXII, 31). Sed jam reliquerant Cercinam mercatoribus, non agricolis, frequentatam, cujus agrum nihil nisi hortos et pascua fuisse credimus; ad littus Byzacii appulerant, plurimis cultoribus celebris; ibi palantes ab agrestibus circumventi, « cum multa cæde ac fœda fuga retro ad naves compulsi sunt; ad mille hominum, cum his..... quæstore amisso, classis, a littoribus hostium plenis trepide soluta, in Siciliam cursum tenuit..... » (ibid.). Huic alteri Romanorum prædatorio incepto non melius quam priori successerat.

Attamen, non tanta trepidatione perculsa erat classis ut non Cosyron insulam, in reditu, apprehenderet præsidiumque in oppido collocaret (Polyb., III, 96). Cosyros maritimo itineri quo ad Emporia tendebatur imminebat, ab Aspide vix CCCC stadiis, id est unius diei navigatione distans, a Cercina MCCC, scilicet duarum et unius noctis. Venturis incursionibus non mediocre commodum ea statio præstabat. Verum omnia Cannensis clades ad tempus distulit.

Intra duodecim annos, a 216 ad 205, nil nisi nullius momenti in Africam Romani moliti sunt, quippe qui tot et tantis negotiis alibi detinerentur. Non equidem dimissa, sed imminuta apud Lilybæum classis ; satis fuit proximum Africæ littus, plerumque ad occasum Carthaginis, quasi furtim incursare (T. L., XXIII-XXVIII, passim), donec anno 205, auctore Scipione, audaciora consilia iterum proponerentur.

Quum omnes Scipionis rationes, nostra quidem sententia, ex fide Masinissæ penderent, expedit quamprimum, eas si plane percipere velimus, tum quis esset tum quid posset iste Numidarnm princeps inquirere.

Masinissa, Galæ filius, Massyliorum regis, apud Pœnos primum, ab anno 212, strenue militaverat; sed in anno 206, Carthagini valde infensus, cujus malitia ei hereditas sublata, cum legato Scipionis clam in Hispania congressus erat (T. L., XXVIII, 16). Inde in Africam reversus, mira varietate fortunæ jactatus fuerat; nam patrio regno potitus, mox autem expulsus, perfugium nactus in monte Balbo (montem Edough esse credimus), unde cum quatuor modo equitibus evaserat ; deinde popularibus iterum concitatis refectoque exercitu, inter Hipponem Regium et Cirtam aliquandiu in armis fuerat, oppressusque iterum in australes solitudines fuga se abripuerat.

Jam Scipionis consilium assequi queas : Regulo male res cessit, utpote in terram egresso nimium in propinquo Carthaginis atque una clade ipsum ad littus compulso ; Scipioni autem stabilius adminiculum præsto erit, Masinissæ, Massyliorum regis, beneficio ; itaque Massyliorum in littore exercitum exponere prima consuli voluntas est ; at in Sicilia tum senatus invidia tum appa-

ratus magnitudine impeditus, moræ impatiens, Lælium cum triginta vetustis navibus præmittit, qui ad Hipponem Regium, sub monte Edough (id est sub monte Balbo, nisi fallimur), appellit, serius quidem quam oportuit. Masinissa enim, jam fugatus, per deserta vagabatur. Attamen advolat, fere solus, et qua prima voce excipit Lælium, ea commune consilium satis aperit : « Segniter rem agi ab Scipione ! » id est : « Seri advenitis ! » Ceterum, abire Lælium suadet, hostium classem profectam Carthagine ratus, contra Scipionem ipsum exposcit, qui vere bellum Africæ inferat.

Quorsum vero consuli cursus erit, quum Massyliorum montibus nitendi jam non facultas sit? Quæras quem in locum Masinissa, rebus in adversis, confugisset : « Ipse cum sexaginta equitibus *ad minorem Syrtim* pervenit... ; ibi.... *inter punica Emporia gentemque Garamantum* omne tempus, usque ad C. Lælii classisque Romanæ adventum in Africam, consumpsit... » (T. L., XXIX, 33).

Vides apud Livium tum Emporia punica tum minorem Syrtim idem significare. His in partibus errat Masinissa, hanc viam obsidens quam, a Tacape ad Garamantas vergentem, alio in loco descripsimus, et mercatores, ut Numidam decet, diripiens. Hinc se proripit ad colloquium Lælii, huc revertitur adventum Scipionis exspectans, huc etiam, nostra quidem sententia, consulem arcessit. Fatemur tamen Livium tale quoddam in hoc loco non referre, nec Masinissæ, Lælium alloquenti, nisi verba parum certa commodare ; at si nobis, ut priscis historiarum scriptoribus, liberum esset viris illustribus verba facientibus nostros sensus transferre, sic Masinissam locutum fuisse crederemus : « Consuli renuncies, mare punicum penetranti, meri-

diem versus, ultra Cercinam, occurrere regionem omnibus fere Carthaginiensium opibus circumfluentem; hic magna existere frumentaria horrea, huc contrahi Libyæ interioris commeatus, experto mihi credendum. Absit vanus timor, in Emporia consul mecum conveniat; ibi præsto erit unde per plures annos copiæ alantur; inde, ad septentriones progressus, opimum Byzacium intrabit ipsamque Carthaginem deveniet, interclusam a populis unde milites ei comparantur, orbatam regione ex qua redit pars major vectigalium. Proposito sane id magis conducet, quam si circa Hipponem Regium classis appellat, ubi jam nulla mihi potestas. »

Reipsa, id fuisse Scipioni posterius, priore omisso, propositum videtur; quare non contra fidem esse talem sermonem existimes. Quum enim cum Masinissa in littore Massyliorum conveniendi jam non ei facultas sit, cur non in Emporia Numidam consequeretur? Navibus igitur quinque et quadraginta dierum cibaria, e quibus quindecim dierum cocta, necnon aquam dierum quinque et quadraginta imponi jubet. Id est in navigationem quæ, a Lilybæo ad Uticam, vix unius diei et noctis est (T. L., XXV, 31). Perspicuum est igitur Scipionem, non proximum itineris finem providere, sed tunc longinquæ navigationi consulere.

Denique, pridie quam classis solveret, singulæ navis gubernatorem, magistrum binosque milites consul arcessit, exquisitoque diligenter an effecta fuissent quæ jusserat de quinque et quadraginta dierum commeatibus, aliisque pluribus edictis imperiis, tum demum gubernatoribus propositum aperit : « Emporia ut peterent gubernatoribus edixit. Fertilissimus ager, eoque abundans omnium copia rerum est regio et imbelles (quod plerumque in uberi agro evenit) barbari sunt;

priusque quam Carthagine subveniretur, opprimi videbantur posse... »

Verba illa Livii, quibus Scipio gubernatores edocet quæ sit incognita regio in quam transvehendus est, ipsius Polybii esse credas ; illa autem Emporia, ea sunt profecto minori Syrti circumjecta, quibus Masinissa obequitat (cf. XXIX, 33). Carthagine enim nimium distabant oræ Syrticæ emporia, Lepti majori adjacentia ; portus vero ad septentriones Thapsi aut promontorii Ras Dimas sitos, civitates Libyphœnicum, non emporia fuisse satis constat.

Ecce jam classis dat vela, sequentibus quadringentis onerariis, pluribus vero præeuntibus actuariis (κέλητες, λέμβοι, App. VIII, 13 ; T. L., XXIX, 24-26), quæ minoris Syrtis vada explorarent. « Vento secundo vehementi satis » ferebantur, scilicet a parte cœli inter Boream et orientem adspiranti, quantum ex ipsa navigationis celeritate conjicere licet. Sole orto, vix elapsis una die et nocte, jam Mercurii promontorium (Hermæum prom.) cernebant; gubernator Scipionem rogat num oporteat appellere ; at quartis aut quintis castris a Carthagine bellum incipere Scipioni minime in animo est : « alium infra navibus accessum petere jubet », id est meridiem versus ultra provehi ; sed « vento eodem ferebantur », qui quidem ventus, postquam adeo secundum trajectum dederit, jam Scipionis consilio minus favet ; etenim Aquilone aut saltem Cauro consuli opus esset, in Emporia tendenti. Vix dubium quin classis, ea die, hinc atque hinc ad ventos obliqua transtulerit vela, ideoque lentius processerit. Interea cadit ventus, nox adest, ancoræ jaciuntur ; oriente tertia die, ventus idem cooritur, classem romanam denuo ferens ad Africæ littora, quæ nebula disjecta oculis aperiuntur. « Scipio

quod esset proximum promontorium percunctatus, quum Pulchri promontorium id vocari audisset : Placet omen, inquit; huc dirigite naves. »

Scipionis gubernatores res fefellit, nisi forte Livius errat; Pulchrum promontorium illud ipsum Mercurii promontorium est quo classem applicare consul pridie noluerat. Hoc autem promontorium cujus in conspectum Scipio devenerat credimus idem esse quod jam Regulus anno 256, Levinus anno 208 attigerant, scilicet « Taphitim Acram » (Strab., XVII, III, 16), cui Aspis oppidum imminebat.

Mirum profecto in Emporia proficiscentes ad Aspida devehi! Ideo arbitramur Scipionem, venti pertinacis impatientem, tertia vice sententiam mutasse : « In Emporia me deferre venti nolunt; esto; ubi casus obtulit, ibi copias exponam! » Idem eveniet Anglorum regi Eduardo III, qui quum in Aquitanos conscenderit, apud Unellos delabetur. Est ut turbatos milites suos Scipio animadverterit, eodemque pavore quo M. Atilii socii trepidaverant perculsos; jam enim ab Hermæo promontorio rogaverant gubernatores num appellerent, quibus ut « Emporia peterent » clare fuerat edictum. Ad hoc, fieri potest ut in nomine promontorii erraverint gubernatores ipsius jussu consulis; cujus enim dictis apparet quanti prima auguria duces antiqui fecerint (cf. Annibalem, T. L., XXX, 25); res postulabat ut minime Regulum, in libyco littore vestigium ponens, miles recordaretur.

Quando ab audaci incepto desistebat, nec jam Emporiis inniti sed prope Carthaginem bellum inire consul statuerat, operæ pretium erat liberos commeatus ac transitus in Siciliam et Romam tueri; cui quidem proposito minime quadrabat Aspida insidere, quum Her-

mæum promontorium superare sæpius reformidassent romanæ classes. Contra, septentrionale littus Africæ unius diei noctisque navigatione tantum a Lilybæo distabat, romanis navibus ab anno 215 frequenter exploratum; huc igitur castra transferre Scipio decrevit, classemque Uticam misit (T. L., XXIX, 28), progressusque Masinissam cum ducentis equitibus advolantem excepit et, circum Carthaginem flectens iter, Uticæ obsidione incubuit. Quæ sequuntur, ad nostrum propositum non pertinent. Satis sit animadvertere Scipionem, in Castris Corneliis perquam coercitum, statim ut repetitis victoriis se expediit, Masinissam et Lælium præmisisse, qui Numidiam contra Syphacem concitarent et romano exercitui a tergo quasi adminiculum darent, quod adhuc desiderabatur. Haud secus, etsi nobis non in animo est res belli gestas in anno 202 ex ordine singulas et quasi ab integro restituere, quod parum hic utile esset [1], notemus tamen Annibalem, apud Leptim minorem appulsum, nunquam dedisse operam ut Carthaginem propius accederet : eam ipsam belli rationem quam Scipio vix inceptam abjecerat, Annibalem crederes sumpsisse, Emporiis et solitudinibus velut acclinem, omnibus modis studentem ut Numidas attingeret. Dicas quoque inter unum alterumque ducem de viis Byzacii certamen fuisse, unde colligere queas non adeo absurdum fuisse consilium quod Scipionis in mente primum insedisse arbitramur, scilicet ut ab Emporiis bellum inchoaret, inde Carthaginem oppugnaturus (v. appendicem B).

1. Adde hoc effectum fuisse, quantum sinerent incondita indicia quæ Livius, Appianus, necnon in fragmentis Polybius suppeditant. V. *Recherches sur l'histoire de la Régence d'Alger,* Paris, 1835, p. 75-84, (auctoribus Hase, Walckenaër et Dureau de la Malle).

Post Zamensem cladem, pacem orare Pœni necesse habuerunt; qui quidem, et libertate et legibus salvis, ad proprium Carthaginiensem agrum (χώρα) redacti sunt; His finibus Emporia continebantur, ut supra vidimus; ea Pœnis salus fuit. Dum enim Emporia retinerent, scilicet Libyæ interioris et vias et commeatus, æararium supplere in promptu erat, refectoquo ærario bellicas opes reficere. Mirum profecto subsidium erat eam regionem possidere ex qua fere quadringenta talenta, id est bis quantum Romanis debebantur, in annum redirent.

CAPUT TERTIUM DECIMUM

QUO PACTO CARTHAGO EMPORIA AMISERIT

CAPUT TERTIUM DECIMUM

QUO PACTO CARTHAGO EMPORIA AMISERIT

Quidquid temporis a secundo ad tertium punicum bellum elapsum est, nihil aliud Carthagini quam inter vitam ac mortem fuit certamen, quod nobis non est describendum ; at tantummodo memorandum est quo pacto Emporia amiserit. Quæ quidem eam ad extremum fere servavisse ac pertinacius retinuisse demonstrabitur : adeo eorum possessioni ipsius civitatis salus quasi inhærere videbatur!

Ex fœdere quod bello finem fecit anno 201, ei Emporia non erepta fuerant. Apud Polybium enim ita duabus conditionibus ejus in Africa dominium definitum reperimus :

Πόλεις ἔχειν [Καρχηδονίους] κατὰ Λιβύην, ἃς καὶ πρότερον εἶχον ἢ τὸν τελευταῖον πόλεμον ἐξενεγκεῖν Ῥωμαίοις, καὶ χώραν, ἣν καὶ τὸ παλαιὸν εἶχον, κτήνη, καὶ σώματα, καὶ τὴν ἄλλην ὕπαρξιν.....

Οἰκίας, καὶ χώραν, καὶ πόλεις, καὶ εἴ τι ἕτερόν ἐστι Μασσανάσσου τοῦ βασιλέως ἢ τῶν προγόνων, ἐντὸς τῶν ἀποδειχθησομένων ὅρων αὐτοῖς, πάντα ἀποδοῦναι Μασσανάσσῃ..... (Polyb., XV, 18).

Appianus vero non admodum iisdem utitur verbis.

Scipio scilicet, nondum commissa apud Zamum pugna, postulat :

Μηδὲ πολυπραγμονεῖν [Καρχηδονίους] τι πέρα ὧν ἔχουσιν ἐντὸς τῶν λεγομένων Φοινικίδων τάφρων..... (VIII, 32).

Item etiam post pugnam :

Τὴν δὲ πόλιν ὑμᾶς ἔχειν, καὶ τὴν χώραν, ὅσην ἐντὸς τῶν Φοινικίδων τάφρων εἴχετε ἐμοῦ διαπλέοντος ἐς Λιβύην..... (VIII, 54).

Ipsas fœderis clausulas a Polybio quidem veri, ut est, studioso et Scipiadum amico traditas fuisse existimamus, quæ ideo subobscuræ sunt, quod Scipioni nihil antiquius erat quam ut rem inceptam absolveret (T. L., XXX, 44 ; Polyb., XII, I, 4). Eam vero et clariorem et graviorem sane clausulam, quam apud Appianum legimus, non sine levi quodam errore Scipioni ipsi adscriptam esse arbitramur, ac potius a Romanis legatis inventam (διαλλακταὶ, App. VIII, 67), qui postero anno in Africam venerunt (T. L., XXXI, 11) ut patrandis fœderis conditionibus interessent. Quanquam neque Livius, neque Appianus ea illis adeo mandata fuisse auctor est ; vetus fuit autem apud Romanos ea consuetudo (« more majorum », T. L., XXXIII, 24) ut, etiamsi ictum cum hoste ab imperatore post victoriam fœdus sanciretur, mitterentur legati, per quos certiores, necnon graviores fierent pacis conditiones. Quod postea et Philippus et Antiochus experti sunt (T. L., XXXIII-XXXVIII, passim). Ea quidem adhibita interpretatione, quam ex ipsis Polybii verbis haustam esse dixeris (ἐντὸς τῶν ἀποδειχθησομένων ὅρων), jam inter se consentiunt duo scriptores ; et inde ma-

nifestius apparet quibus artibus usi fuerint legati, ut Romæ invidiæ æque ac Massinissæ cupiditatibus inservirent, et scriptas a Scipione leges definirent.

Ita, quanquam Scipioni in animo fuerat suum agrum Carthaginiensibus relinquere quantus ineunte secundo punico bello patebat, legati id tantum eis spatii concesserunt, quod « punicis fossis » continebatur. Eæ quidem fossæ, quas apud Appianum quater memoratas reperimus, a Carthaginiensibus ideo excavatæ fuerant ut sibi pro limite essent [1], ac sane nomadibus fines describerent quos eorum gregibus transcendere non liceret. Ante autem plus quam centum annos factæ fuerant, si Eumachos ille quem de iis auctorem Phlego nobis tradidit idem fuit atque Agathoclis legatus (v. cap. XII). Quarum situm nos non adeo cognovimus; at conjici potest indictis his finibus Carthagini ereptas fuisse agri quasdam partes, quas ei Scipio relictas voluerat. Constat saltem ex Plinio [2] eas fossas tunc temporis usque ad punicum mare non perductas fuisse. Unde fit ut, quamvis graviores ita conditiones a Romanis legatis scriptæ fœderi accessissent, Carthago tum Emporia, id est utriusque Syrtis oram, retinuerit.

Ex eo autem fonte vix dici potest quantas opes haurire Pœni deberent, iis modo parce uterentur. Etenim Carthago non idcirco tantum victa fuerat quod martem iniquum experta erat, verum etiam ac potissimum quod exhaustum ærarium fuerat. Quippe nobiles, rerum

1. ..... Ἔυμαχος δέ φησιν ἐν Περιηγήσει Καρχηδονίους περιταφρεύοντας τὴν ἰδίαν ἐπαρχίαν..... κτλ..... (Phlegon Trallensis, *De mirab.*, 47.)

2. « Ea pars, quam Africam appellavimus, dividitur in duas provincias, veterem et novam, discretas fossa, *inter Africanum sequentem et reges* Thenas usque perducta..... » (V, 4).

summa potiti, suæ factioni exactorum ac dispensatorum munera largiebantur (Mommsen); isti vero magistratus, seu publicæ utilitatis incuriosi, seu repetundarum rei, disperdi civitatis opes siverant (T. L., XXXIII, 46). Pace vero nihil in melius mutatum; quippe ut nulla jam Carthagini classis instruenda, nullus mercenariorum exercitus alendus, ita rursus ei erepta fuerant Hispaniæ metalla, neque jam ei, ut verisimile est, ullum vectigal sociæ civitates pendebant; neque jam alii reditus supererant quam fructus quos coloni sui agri (χώρα), multi minoris facti, pro tributo afferebant aut sui portus atque Emporiorum portoria, quibus præcipue nescio an tum ejus opes constarent. Ex his quidem Emporiis haud multo minus quam quadringenta talenta quotannis, teste Livio, percipi poterant, duplum fere vectigalis quod Romæ pendi debuit. Inde vero sustentanda rei publicæ administratio, ac, si modo ut antea civitatis opes profunderentur, non erat jam ut debita solvi possent. Anno 201, cum primum vectigal pendi debuit, ex privato præter morem tributum conferendum fuerat (T. L., XXX, 44); secundo autem anno, adulterini nummi soluti sunt (T. L., XXXII, 2); non quod consulto istiusmodi pecuniam cudissent Carthaginienses, quam Romanis traderent; verum in eas angustias jam adducti fuerant, ut alia non uterentur (L. Müller, *Numis.*, II, 107 et sqq.). Nullo pacto igitur restitui res publica, nisi et ærarium reficeretur, poterat. Quapropter Annibal, prætor creatus (*suffes*, ut opinamur), ærarii præfectum jam omnium primum ad calculos vocavit : « prætor factus Annibal vocari ad se quætorem jussit..... » (T. L., XXXIII, 46). Ille vero, nobilium factioni addictus, imperanti Annibali non obsecutus est. Tum Annibal, ut rem nummariam velint nolint restitueret, reipublicæ

ordinem penitus commutare decrevit. Litem igitur ad plebem detulit, eversaque nobilium potestate, tum demum quis esset ærarii status cognovit : quod exhaustum cum furtis, tum profusione reperit : ita ut ne præsentis quidem anni vectigal exsolvi posset, nisi rursus pecunia a privatis expostularetur.

Res igitur ordinandas curavit prætor : « Annibal postquam vectigalia quanta terrestria maritimaque essent, et in quas res erogarentur, animadvertit, et quid eorum ordinarii republicæ usus consumerent, quantum peculatus averteret ; omnibus residuis pecuniis exactis, tributo privatis remisso, satis locupletem rempublicam fore ad vectigal præstandum Romanis pronuntiavit in concione, et præstitit promissum..... » (T. L., XXXIII, 47). Conjicere autem licet exigendis præcipue Emporiorum portoriis eum operam adhibuisse : in his enim, quippe quæ plurimum a Carthagine distarent, plus etiam sane peccatum erat.

Nobiles vero, postquam ipsis prohibitum et summa rerum potiri, et rapinas exercere, Annibalis de consiliis indicium fecere Romanis, qui æquo animo rerum mutationem tolerare nequibant unde Carthaginis opes viresque restitui mox poterant. Adde quod eo potissimum anno Cato consul erat! Legati igitur Roma Carthaginem missi venere : quorum Annibal consilia præsentiens ad Antiochum confugit (195 A. C.).

Quo profecto Masinissa audacior factus : quare, secundo post anno (193), quum Romæ adversus Antiochum jam bellum gerendum erat et in Europam jam traduxerat rex Syriæ exercitum (T. L., XXXIV, 33), in Emporia rex Numidarum impetum fecit, quibus hactenus abstinuerat. Imo etiam hanc regionem Pœnorum esse, singulari data occasione, aperte confessus erat :

Numidarum scilicet vir quidam primarius, quem Aphtheratem Polybius, Aphirem vero Livius vocat, cum in regem rebellasset, in solitudines « circa Cyrenas » aufugit; quem Masinissa quum persequi non posset, nisi aut in deserta temere se immitteret aut secundum littus et Emporia faceret iter, ut hac via sibi uti liceret a Pœnis petivit : « δίοδον ᾐτήσατο τοὺς Καρχηδονίους διὰ ταύτης τῆς χώρας..... » (Polyb., XXXII, 2). Quod quidem pro beneficio habebat; Livius enim : « precario, scribit, ab se iter per eum ipsum agrum, tanquam haud dubie Carthaginiensium juris, petiisset... » (XXXIV, 62). Carthago autem hanc licentiam denegaverat « ὡς οὐδὲν αὐτῷ προσηκούσης (τῆς χώρας)..... » Masinissa vero hujusmodi religione non diu impeditus quin Emporiorum tantis divitiis et cupidos oculos et mox manum injiceret : « Θεωρῶν τὸ πλῆθος τῶν πόλεων τῶν περὶ τὴν μικρὰν Σύρτιν ἐκτισμένων, καὶ τὸ κάλλος τῆς χώρας, ἣν καλοῦσιν Ἐμπόρια, καὶ πάλαι τὸ πλῆθος τῶν προσόδων τῶν γιγνομένων ἐν τούτοις τοῖς τόποις ὀφθαλμιῶν, ἐπεβάλλετο καταπειράζειν τῶν Καρχηδονίων... » (Polyb., *ibid.)*.

Livius autem de iisdem rebus : « Agrum maritimum eorum, inquit, et depopulatus est et quasdam urbes vectigales Carthaginiensium sibi coegit stipendium pendere. Emporia vocant eam regionem. Ora est minoris Syrtis et agri uberis; una civitas ejus Leptis; ea singula in dies talenta vectigal Carthaginiensibus dedit.....» (XXXIV, 62).

Quod si tantummodo hunc Livii locum cum ipsis Polybii verbis contuleris, continuo intelliges a latino scriptore nihil aliud quam græci sententiam explanari et adimpleri; « ea singula in dies talenta vectigal Carthaginiensibus dedit » latine tantum vertit ac rei proprius accommodat « τὸ πλῆθος τῶν προσόδων τῶν γιγνομένων ἐν τούτοις

τοῖς τόποις..... » Nulla enim est ibi causa cur nos Livius doceat quantum Leptis tributum Carthagini posset exsolvere : operæ vero pretium est nos admonere quanti essent hujus regionis reditus, cui manum injicere Massinissa appeteret. Quamobrem minime intelligi potest omnes omnino vel eruditissimos viros ibi communem in errorem incidisse. Quo tamen omisso (v. cap. XI, in fine) factorum tenorem persequi liceat :

Facilius a Masinissa Emporiorum ager occupatus est : « τῆς μὲν οὖν χώρας ταχέως ἐγενήθη κύριος..... » Nempe Carthaginienses diuturna jam pace enervatos fuisse dicit Polybius. Adde potius quod iis jam nulla classis, nulli mercenarii, nulli socii supererant, neque iis Romani resistendi copiam faciebant. At contra urbes rex non obtinuit, quippe quæ firmis præsidiis essent munitæ : « τῶν δὲ πόλεων οὐκ ἠδυνήθη γίνεσθαι κύριος, διὰ τὸ τοὺς Καρχηδονίους ἐπιμελῶς τηρεῖν αὐτάς..... » Neque ceterum iis potiri ipse tantum concupiverat, quantum ex iis eadem vectigalia colligere quæ Carthagini pendebant. Scilicet suam prœdam commodo elegerat, quippe compertum habebat quo ex fonte optime nota sibi regio opes hauriret : in ea enim exsul spatiatus erat, in eam quoque Scipionem ipse vocaverat.

Legati igitur Carthagine Romam profecti sunt qui de re quererentur. Paucis autem ante diebus apud Pœnos Tyrius quidam speculator, ab Annibale missus, commoratus erat, cui nomen Aristo. Neque rem occultam Barcarum factio habuerat, magistratusque Aristonem retinendum primum esse rati, mox aufugere passi erant; ipse quoque Annibal, quinque navibus comitantibus, Cyrenaïcæ ad littora processerat. Quid fieret exploraturus, et cum eo Mago frater consulturus Carthagine advenerat (Corn. Nepos, *Annibal*, VIII). Quæ cum Roma-

nos fugere non possent, ultro Pœnorum legati Annibalis consilia Romæ indicaverunt (T. L., XXXIV, 60), sibique Magonis exsilium (Corn. Nep., *ibid.)*, credimus, obtenderunt; quorum voluntati fidem, quatenus libuit, plus minus adhibuit senatus.

Masinissa vero suos quoque legatos Romam miserat. Tum igitur de Emporiorum possessione inter utrasque partes fieri cœpit disceptatio, cui non est ut nosmetipsi, etsi duo millia annorum intercesserunt, non commoto animo intersimus :

Carthaginienses scilicet optima duo argumenta præ se ferebant : ipsa quidem fœderis, qualia Scipio scripserat, verba; neque enim dubitari poterat quin Emporia, ineunte secundo bello punico, ipsorum agri (χώρα) pars fuissent; necnon ipsum Masinissæ rem confitentis testimonium, quum Aphtheratem persequeretur.

Numidæ autem dubias et subobscuras fœderis clausulas afferebant. Scipio enim Carthaginiensibus eam propriam remansuram esse promiserat « τὴν χώραν, ἣν καὶ τὸ παλαιὸν εἶχον ». Qui vero liberius τὸ παλαιόν interpretari velit, quousque ei retrocedere non liceat? Scipio idem scripserat ad Masinissam quæcumque aut ipsius aut avorum (ἢ τῶν προγόνων) fuerant, esse reditura. Masinissa igitur, Ludovici magni aut cujusvis germani Cæsaris instar, sibi suorum avorum jura, quæ Carthaginiensium dominium antecesserint, vindicabat : ita ut nihil aliud quam ejus vestigiis institerunt qui postea « HISTORICUM JUS » usurpaverunt. « Si quis *veram originem juris* exigere vellet, *quem proprium agrum Carthaginiensium in Africa esse?* Advenis, quantum secto bovis tergo amplecti loci potuerint, tantum ad urbem communiendam *precario* datum. Quicquid Byrsam sedem suam excesserint, vi atque injuria partum ha-

bere... » Necnon meliora quædam etiam argumenta accedebant, modo vera fuissent quæ a legatis jactitabantur : « Neque eum agrum, de quo agatur, probare eas posse, non modo semper ex quo ceperint, sed ne diu quidem eos possedisse. Per opportunitates, nunc illos, nunc *reges Numidarum* usurpasse jus : semperque penes eum possessionem fuisse, qui plus armis potuisset... » Numidæ autem oratores meras verborum præstigias faciebant, qui Masinissam non avorum modo regum, sed reipsa principum totius ab origine Amâzigh gentis hæredem constituerent!

Masinissa denique Romanos orabat ne vellent intercedere (ex qua rogatione quid valerent ejus criminationes judicare licet), at qui validior esset, eum possessorem agnoscerent.

Decrevit senatus arbitros in Africam mittendos esse. Ii vero, inter quos ipse Scipio fuit, re penitus perspecta, sententiam nullam protulerunt; unde rursum liquet a Carthagine justitiam stetisse; neque enim Scipio, si 201 anno Emporia ei erepta voluisset, adversus eam octo post annos sententiam ferre dubitasset. Cur autem pro ea aperte rem dijudicare non sustinuerit, Polybius, Scipiadum familiaris, sincere declarat : ἀεὶ συνέβαινε τοὺς Καρχηδονίους ἐλαττοῦσθαι παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις, οὐ τῷ δικαίῳ, ἀλλὰ τῷ πεπεῖσθαι τοὺς κρίνοντας συμφέρειν σφίσι τὴν τοιαύτην γνώμην..... » (XXXII, 2).

Nihil igitur in rebus mutatum est, ita ut Masinissa campum et agrum, Carthaginienses autem ipsas urbes retinuerint. Quod constat quum ex ipsa Livii narratione, tum ex iis quæ jam memoranda sunt factis.

Interea tamen quum Carthago pace admodum frueretur (nisi quod ei minarum atque periculi Masinissa af-

ferebat), neque ei per Romam ullum bellum suscipere liceret, vires suas reficiebat : ἡ Καρχηδὼν εἰρηνεύουσα ὁμαλῶς ἐς μέγα δυνάμεως καὶ εὐανδρίας ἦλθεν, ἔκ τε πεδίων εὐκαρπίας καὶ θαλάσσης εὐκαιρίας..... (App. VIII, 67). Ad hoc Annibalis quanquam exsulantis veri simile est consilia atque instituta de reparando ærario non frustra fuisse. Etenim anno 191 Pœnii ii, qui anno 200 in eo erant ut non essent solvendo æri alieno, Romæ offerunt ut omnia debita una semel jam pendere sibi liceat (T. L., XXXVI, 4), cuncta scilicet vectigalia quæ ad quadraginta adhuc annos exigenda erant. Num igitur credibile est octo millia talentorum una conferre voluisse? Minime quidem. At potius mercatores, ut erant, illi de summa usuram sane detraxerunt. Et Romam id temporis potissimum comperimus vicenos quinos et semisses in millia æris (2, 55 %) creditoribus solvisse (T. L., XXXIX, 7). Etiamsi nihil amplius Carthago, quod quidem est minimum, detraxisset, ei tantummodo 4979 talenta erant solvenda. Roma vero abnuit, quippe quæ incerta fuisset quo tantam pecuniam impenderet; nec quidquam sibi utile in istiusmodi pactione perspiceret, præterquam quod ipsa gravissimo cum Antiocho bello tum implicita nequaquam opportunum ducebat Carthaginem ex fœderis vinculis liberam expedire. Quis autem dubitet quin imprudentius hoc hostium suorum propositum Romanos in suspicionem injecerit?

Vulgo creditur post triginta tantum annos posterius, anno 161, mutatam Emporiorum fuisse conditionem. Priusquam autem hoc ipsum tempus in controversiam vocemus, quis fuerit rerum eventus primum referatur : « Pœni scilicet, dicit Polybius, et totum Emporiorum agrum et urbes ipsas (τὰς πόλεις καὶ τὴν χώραν ἀποβαλεῖν) Masinissæ relinquere, et quingenta talenta, pro retentis

immerito per controversiam vectigalibus, expendere coacti sunt. »

His cognitis, nunc de tempore ipso agamus. Polybii quidem in hoc fragmento ex quo discimus quis exitus Emporiis fuerit, sumpto e Byzantinis Excerptis quibus *de Legationibus* titulus inscribitur, numerisque cxviii signato, certus nusquam declaratur annus, at quædam continentur temporum indicia quæ jam eruere enitemur :

Primum quidem omnium, Polybius asserit Masinissam in Emporia impetum fecisse « οὐ πολλοῖς ἀνώτερον χρόνοις τῶν λεγομένων καιρῶν. » Ex quibus verbis liquet tantum exiguo annorum intervallo dividi et Numidarum regis incursum et ea tempora quæ Polybius dicit.

Impressione facta, utrinque res ad senatum refertur : intercedunt multæ legationes ; quas dum commemorat Polybius, æquo niti Carthaginienses ut plane demonstret, narrat Masinissam, paulo antequam Emporia invaderet, « χρόνοις οὐ πολλοῖς ἀνώτερον », petiisse ut sibi Aphtheratem persequenti daretur per hunc agrum transitus, nec impetrasse.

Ad extremum, Pœni in judicio superantur coguntur-que, « propter temporum rationem quam diximus, inquit Polybius, διὰ τοὺς νῦν λεγομένους καιρούς », et agri et urbium jacturam facere.

Anni indicium igitur in hac tota narratione reperies nullum ; at sermonis Polybii significationem dummodo secundum rerum naturam interpreteris, nec detorqueas, tria esse litis hujus momenta, scilicet rem de Aphtherate, et Masinissæ incursum, et Pœnorum repulsam, quæ proxima inter se et velut continuata fuerint existimabis.

Quæ quum ita sint, fac fragmentum illud Polybii

aut ex Suida aut e quovis alio excerptore depromptum fuisse : omnia profecto plana atque expedita fierent; anno enim 193 A. C. Masinissam Emporiis manum injecisse, ut refert Livius qui Polybii vestigiis adeo insistere hoc in loco videtur, pro comperto habere satis esset, rem vero Aphtheratis paulo ante evenisse, jurgio autem finem paulo posterius factum fuisse.

Quum vero in Byzantinis Excerptis Polybii fragmentum numeris CXVIII inscriptum sit, Excerpta autem CXVII ac CXIX quibus illud insertum est haud dubie ad annum 161 A. C. referri debeant, utrum sit dijudicandum nobis minus apparet : non possumus enim quin fragmentum nostrum, si quidem ordo non permutatus est, huic eidem anno 161 tribuamus (quod saltem litis ad exitum attinet), atque credamus his verbis διὰ τοὺς νῦν λεγομένους καιρούς res hujus anni 161 significari.

Quapropter, dubiam in aleam adducimur :

Hinc enim, si, re non ante annum 161 dijudicata, paulo tantum antecesserint, ut asserit Polybius, de Emporiis contentiones, — constat vehementer errasse Livium, utpote qui Masinissæ incursum anno 193 factum fuisse et cum rebus Aristonis cohærere contendat;

Illinc contra si Livio fidem prorsus adhibueris (ac profecto nimis inconsultum sit auctoritatem ejus respuere) et tamen controversiæ finem in annum 161 distuleris, necesse erit tibi fingas his Polybii verbis οὐ πολλοῖς ἀνώτερον χρόνοις τῶν λεγομένων καιρῶν duorum et triginta annorum spatium significari, quod profecto mirum in modum veritati repugnat.

Excerptorum numeros aliquantum corruptos ideoque ordinem mutatum fuisse suspicari si liceat, — scilicet pro CXVIII tantum XVIII legere, — jam facillime nodus ille exsolveretur : fragmentum enim de quo agitur libro

vicesimo primo Polybii, ad annum 190 A. C., interponere conveniret, quo pacto ab omni parte tum Polybius tum Livius consentirent : et Aphtheratem defecisse paulo ante annum 193 ; et eo anno, obsessis Emporiis, evenisse tum in senatu controversias, tum Scipionis legationem, οὐ πολλοῖς ἀνώτερον χρόνοις τῶν λεγομένων καιρῶν ; denique, anno 190, jussos fuisse Carthaginienses et Emporiis cedere et Masinissæ quingentis talentis satisfacere.

Ad hanc conjecturam accedit irrogatæ pecuniæ summa : fac enim illa Emporia, quæ « singula in dies talenta » darent, jam anno 193 repetiisse nec ante annum 161 obtinuisse Masinissam : vili quidem pretio, post duo et triginta annos, allatum damnum compensatur! Contra, si duo aut tres anni tantum effluxerint (193-190), satis liberaliter!

Præterea consentaneum est Carthaginienses, quo inconsultius anno 191 quadraginta annorum tributa seme se pensuros professi essent, eo asperius jam inde *postero anno* mulctatos fuisse : adeone opibus isti abundant! Unde vero illis hæ metuendæ suppetunt facultates? Nempe ex Emporiis. Eia vero Emporia iis adimantur!

Mirum tamen videri possit Livium, quum anno 193 rem infectam et quasi in suspenso reliquerit, de ea peracta anno 190 siluisse. At quædam omisisse Livium libentius suspicamur quam ad annum 193 quæ post duo et triginta annos vere evenissent retulisse.

Legationum codicem attingere ac recognoscere qui posset, fieri potest ut quamdam huic controversiæ lucem daret. In præsentia, si Livium ab omni parte verum habueris, nec vero Polybii fragmentum loco movere volueris, ac nihilominus in utroque conciliando perstiteris, obsessa fuisse jam ab anno 193, Pœnis autem non ante annum 161 prorsus adempta fuisse Emporia existima-

bis, — quamvis his Polybii verbis οὐ πολλοῖς ἀνώτερον χρόνοις τῶν λεγομένων καιρῶν duorum et triginta annorum spatium significari mirum videatur!

Jussa Romanorum Pœnos ab omni parte exsecutos fuisse dubium est. Quum enim longius abessent Emporia quam ut ad ea assidue senatus attenderet, tum ex agro et locis in quos confluerent et unde Carthaginem adveherentur Libyæ interioris commeatus Pœni ultro ac volentibus animis qui decessissent? Præterea, non contra fidem est senatum, quem Pœnos ac Numidas inter se ad internecionem decertare juvaret, mollius operam dedisse ut imperata fierent. Utcumque se res habuit, nonnullam in Emporiis partem retinuisse vel usque in annum 151 videntur Carthaginienses. Quum enim Scipio Æmilianus, id temporis, in Numidiam quærendorum elephantorum gratia missus [1], accenso jam inter Masinissam ac Pœnos bello, ad pacem componendam intervenisset, hos quidem adduxit ut illi, præter mille talenta, « τὴν περὶ τὸ Ἐμπόριον γῆν » concederent (App. VIII, 72).

Circa hunc singularem casum « τὸ Ἐμπόριον » paulisper morari placet :

1° Primum quidem crederes hoc verbo demonstrari urbem Oroscopam [2], quam nuper Masinissa invaserat. At alio quodam Appiani loco (VIII, 79) vetamur quominus in hac sententia maneamus, quippe ex quo appareat hunc Emporicum agrum ex quo se cessuros Pœni profitentur Masinissam irrupisse antequam in Oroscopam novissimum impetum faceret [3].

1. Legatus Luculli, tunc bellum gerentis in Celtiberia (App. VIII, 71). Consulem anno 151 A. C. Lucullum fuisse testantur Fasti Consulares.

2. Oroscopa, Ὀρόσκοπα (App. VIII, 70). — Situs incognitus.

3. Γῆν ἄλλην ἡμῶν ἀπέσπα περὶ τὸ Ἐμπόριον· καὶ λαβὼν καὶ τήνδε, ἐπέβαινεν ἑτέρας, μέχρι τὰς συνθήκας ἡμῖν τὰς

2° Interdum hæremus dubii an, inusitata dictione quadam, eam regionem quam τὰ Ἐμπόρια Polybius nuncupat τὸ Ἐμπόριον Appianus appellaverit.

3° Propius fidem est, ut arbitramur, Pœnos in Emporiis consistentes, a Masinissa jam quadraginta abhinc annis vexatos atque exagitatos, in unum ac potissimum in illud emporium confugisse ad quod celebratissima a partibus Libyæ interioris et Garamantum via pertineret. Quod ideo præcipue ac proprie τὸ Ἐμπόριον dictum fuerit, nec aliud foret atque illud Strabonis « παμμέγεθες Ἐμπόριον.» (v. supra, cap. I, p. 21).

Utcumque erit, credimus τὸ Ἐμπόριον Appiani atque τὰ Ἐμπόρια Polybii aut ex parte aut in universum inter se congruere, nec ideo prorsus ex illa regione, quidquid Romani jussissent, Pœnos cessisse, siquidem anno 151 Masinissæ non emporium ipsum, at circumjectum agrum pollicentur.

Jam prope compositæ pacis conditiones levioris momenti controversia, scilicet de dedendis perfugis, disturbatæ sunt, Romanique, quibus delere Carthaginem deliberatum erat, bellum Pœnis denuntiaverunt Tertii hujus punici belli quis fuerit exitus neminem fugit.

Ad summam, modo subobscuram Appiani narrationem recte simus interpretati, nisi Emporia omnia at saltem quod ex iis præcipuum erat, scilicet illud in quod et via ab occidentalibus partibus Garamantum et omnes minoris Syrtis commeatus convenirent, contempto Masinissa ac nolente senatu, tum quum jam in eo esset ut funditus everteretur, Carthaginem servavisse compertum est.

πρὸς ὑμᾶς συνέχεεν..... », aiunt Pœni, coram Romanis consulibus quum causam dicunt.

CAPUT QUARTUM DECIMUM

THESIS TOTIUS SUMMA

CAPUT QUARTUM DECIMUM

THESIS TOTIUS SUMMA

Hoc libello duæ partes continentur, quarum una ad regionis descriptionem, altera ad historiam pertinet.

Priore id nos assecutos esse arbitramur, ut, collatis inter se tum veterum tum recentiorum testimoniis et adjuvante tabula qua nulla adhuc melius descripta fuit (Mouchez), diligentius finiatur situs quorumdam oppidorum apud antiquos nobilium, inter quæ præcipue annumeranda Neapolis ostio Tritonis proxima, Hedaphtha, Gerra, Zeucharis, Pisindon portus, Bilan, Gaphara, Aspis, etc. Nihil ceterum enuntiamus quod non planius confirmari et explicari posse confiteamur; hujusmodi enim operi extremam manum imponere exploratoris unius est.

Quod ad posteriorem attinet, rogamus ut quæ nova adhuc nos confidimus in lucem protulisse ea nobis liceat, quum jejunæ et exilis lectorem tæderet enumerationis, narrare aut exponere. Fingamus igitur omnia prius demonstrata pro rectis, conjecta pro verisimilibus communiter haberi, ita ut hæc argumenta nunc omitti queant quibus innixi disputavimus; quid enim aliud esset nisi thesim redintegrare? Quæ si lector concesserit et unaquæque conclusio sola atque ut ita dicam nuda

sit commemoranda, hæccine de Emporiis Carthaginiensium in utraque Syrti disjectis proponi posse contendimus :

Emporium veteres id appellabant quod hodie *comptoir* dicimus; quædam in interiore terra reperta sunt; pleraque autem maritima. Extrema antiquitate Phœnices oram Africæ atque imprimis illud Syrtium littus quod erat Africæ interiori proximum multis emporiis quasi prætexuerunt, eos situs unde et commodius facere mercaturam et facilius hostem propellere possent, promontorium, fluminis ostium, insulam littori adjacentem, aut locum, si forte suppeteret, his omnibus opportunitatibus munitum potissimum eligentes [1]. Plerumque emporium, utpote in quod duæ gentes conveniebant, una cultu asperior, altera humanitate polita, duobus vicis constabat; quorum unus ab indigenis, alter ab advenis occupabatur, interdum pluribus millibus inter se distantes, sæpius appositi aut ostio fluminis tantummodo disjuncti.

Ea tempestate qua Tyriorum, coloniis amissis, corruit imperium, septimo scilicet A. C. sæculo, emporia in Syrtibus condita non continuo in Carthaginiensium potentiam cesserunt; verisimile est colonos sui juris diu exstitisse, a barbaris vicinam regionem incolentibus lacessitos, semet per se tueri ac nova præsidia sibi comparare coactos. Tum demum, ut opinor, indigenas circa eorum mœnia vitam agentes, quum tot sæculis elapsis barbariæ situm pæne deposuissent atque propter commodorum communionem cum advenis jampridem coaluissent, videtur in civitatem justo pacto fuisse receptos ; unde ortæ sunt, nostra quidem sententia, *novæ*

1. Cf. Thucyd., VI, 2.

illæ *urbes (Neapolis* aut *Macom-Ades),* vici illi vetusto oppido appositi, quos in Syrtium circuitu vulgo reperias, et imprimis gens illa Libyphœnicum, urbana quidem, de qua mentio fit apud Diodorum, illi genti Libyphœnicum agrestium omnino dissimilis quam multis post sæculis, a Carthaginiensibus Byzacio toto diffusis ortam, Plinius et Ptolemæus memorant. Huic vero libertati, tot periculis fetæ, qua primum coloni gaudebant, finis allatus est; quum, ruente Tyriorum imperio, cresceret contra Carthaginiensium potentia, illi tandem possessionum quas Tyrii in occiduo mari obtinuerant se hæredes tulerunt ac prædicarunt : sexto jam sæculo A. C. emporiis in utraque Syrti positis manum injecerant.

Dum inquirimus quo jure civili Emporia syrtica, dominante Carthagine, usa sint (quod quemquam adhuc aggressum esse non audivimus), suspicamur majorem Leptim solam fuisse in immenso littore a Cercina ad Philenorum aras patente quæ, ut prius, civitas dicta et habita fuerit atque agrum suum, suas ipsius leges retinuerit, quamvis punicæ societati adjuncta. Cetera vero Emporia aut Carthaginiensium coloniæ facta sunt, civibus suppletæ genitali solo profectis, agro punico igitur inscriptæ, aut nihil aliud fuerunt nisi possessiones ne justo quidem nomine discriminatæ. Ea quæ in colonias conversa sunt Emporia videntur in minoris Syrtis ambitu potissimum exstitisse.

Contra vulgatam opinionem credimus Emporiorum incolis concessum fuisse quidem ut sua mœnia haberent ; quibus dejectis, omnino esse non potuissent. Omnes vero, quocumque numero in societate habebantur, angustissimis vinculis Carthago coercuit, sive jus civile, sive mercaturæ facultatem sibi repeterent ac vin-

dicarent; nam et eis maritimo commercio prorsus interdictum fuit, et eorum portibus alienigenæ semper exclusi sunt, præter nautas ab oriente navigantes, quibus quum Carthaginem peterent quosdam aperire necesse erat. Emporiorum incolas, ita mari prohibitos, verisimile est terrestrem mercaturam exercuisse cum nationibus mediterraneis, ita ut Pœnorum subministratores evaderent. Unde tamen magnas divitias eos contraxisse testantur et magnifica Sabratæ Leptisque majoris rudera, et ingentia Emporiorum portoria, quæ, teste Livio, singula in dies talenta Carthagini reddebant.

Cum gente Garamantica, quæ mediam Africam a monte Tibesti ad montem Ahaggar obtinebat, crebrius et constantius quam cum ulla mercaturam Emporia faciebant; per tres præcipuas vias, quas facillimum est discernere si modo tabulam inspexeris, ad mare Syrticum mercatores Garamantici pergebant:

1° Per unam a Tibesti, versus orientem sitam, Sellam petebant inde ad majorem Syrtim perventuri; quæ a Tyriis haud ignota, a Pœnis interclusa, iterum regnantibus Ptolemæis aperta est, a Sella ad Cyrenen directa. Hanc ipsam et emensus est Cornelius Balbus, et in porticu sua descripsit Agrippa, et Plinius in historia depinxit; hujus quasi testimonia apparuerunt antiqua illa milliaria de quibus Rohlfs audiit. Postea, secundo P. C. sæculo, qua tempestate Leptis iterum floruit, eadem a Sella ad Leptim deflexa est.

2° Secundam suspicamur, exordio juxta Djermam sumpto a duobus tramitibus qui eo conveniebant, unus ab Tibesti, alter ab Ahaggar directus, tetendisse per montem Djebel-Ghurian ad Leptim aut ad alias urbes in illo littore medio inter Syrtes patente sitas, quarum

magni referebat in quam potissimum via exiret. Post Carthaginis excidium, ea non videtur Romanos ante Vespasianum imperatorem usos esse; at sequente sæculo eam constat a romanis negotiatoribus ad mercatorias montis Ahaggar urbes pergentibus fuisse tritam ac celebratam.

Tertia autem via, brevissima quidem et eadem vetustissima atque Carthagini proxima, ab Ahaggar directa, Aghellagh locum (apud Plinium Augylas) ac pœne fluminis Igharghar fontes attingebat, ac deinde Ghat et Ghadames, in minorem Syrtim exitura. Per quam vivente Herodoto jam commeabatur; hanc Plinius, auctore, ut credimus, Polybio, non sine quadam subtilitate describit, sed ita ut nemo adhuc (absit verbo invidia) recte intellexerit quo valeat descriptio. Cujus, post deletam Carthaginem, relictæ eam solam partem Peutingeri tabulis depictam reperimus quæ media patet inter *Gabes* et *Djebel-Duirât.*

Pœnos existimamus, Phœnicum vestigiis insistentes, servataque in rebus mercatoriis ea disciplina quæ ad hanc nostram ætatem fere viguit, ad id elaborasse ut viam quamlibet ad occidentem reductam tanquam in promptu haberent. Quin imo, viam versus orientem sitam, utpote Cyrenæ et Græciæ nimis propinquam, videtur omnino fuisse interseptam; Psyllos autem propulsos a littore quod Nasamones prædones ita usurpaverunt ut cuivis navigantium periculosissimum esset accedere (hoc littus Scylacem legisse non credimus). Iidem, mapalibus usque ad Audjelah positis, omni cum Garamantibus commercio Cyrenen prohibuerunt. Unum exstitit in hoc vasto littore Emporium quod non mercatura fuerat interdictum, Charax scilicet, quo Carthagionenses cum vagis gentibus conveniebant, vino com-

mutaturi silphium ab agro Cyrenaïco abreptum. Viam autem mediam apparet ex emporio græco Cinyphis destructo, quod Carthaginienses desertum esse voluerunt, et clauso portu Leptitanorum, si non omnino quidem relictam fuisse, at certe diligentissime custoditam; hanc viam terere mercatores coacti sunt quæ vergebat ad occidentem, scilicet ad Emporia τῆς χώρας Καρχηδονίων, ad Gapharam Lepti conterminam, ad Sabratam quam sua via cum Carthagine jungebat, et imprimis ad portus illos quibus minor Syrtis instructa erat ac munita.

Carthago autem illorum Emporiorum occiduorum aditu, in quibus studuisse videtur ut suum cum interiore Africa commercium quasi contractum colligeret, nautis ab occidente profectis destricte interdixit. Nobis tradidit Polybius eam pactionem qua anno A. C. 509 naves Romanorum Ras Adar transmittere vetuit; qua quidem prohibitione naves Tyrrhenorum antea affectas fuisse arbitramur. Quum vero Pœni erga amicos sociosque ita se gererent, qua acerbitate in hostes, in Græcos scilicet qui Massiliam Siciliamque obtinebant, eos usos esse dicamus? Quo accessu videtur interdictum fuisse quamdiu Carthago rerum potita est. Navigatores vero ab oriente venientes non fieri poterat ut cogerentur a Cyrene ad Carthaginem continenti cursu pergere; verisimile est igitur illis quosdam portus, quasi stationes, reclusos esse, Gapharam scilicet (si modo recte conjecerimus de Scylacis periplo), et Sabratam, et Tarichias, et Meningem, et Cercinam, et Thapsum Hadrumetumque, alienigenas vero quoslibet majore et minore Syrti usque exclusos.

Quo magis hæ prohibitiones vigerent, Pœni studuerunt ut navigationis in minore Syrti pericula fama multiplicarent, atque ei vanos terrores, pro munimen-

tis, prætenderent. Omnibus vero litterarum usque ad Cæsares aut posterius etiam monumentis hæc formido exprimitur; quæ hac nostra ætate demum cœpit evanescere.

Hoc littus interclusum formidatumque minoris Syrtis Carthago suo ipsius agro adscribebat; inter Thenas igitur et Gapharam majori Lepti confinem nulla occurrebat ex illis civitatibus quas Libyphœnices socii ac tributarii incolebant, servatis legibus ac magistratibus suis, suo etiam agro servato; totum vero freti circuitum Carthago suum ipsius agrum vindicabat : « agrum maritimum Carthaginiensium », ut ipsum T. Livii verbum usurpemus. Hanc igitur tanti pretii possessionem diligentissima cura ac sollicitudine observabant; Melita enim, Gaulos, Cosyra, Lampas præsidiis atque speculis instructæ, quasi prima acies ejus aditum custodiebant; secundo ordine stabant Meninx ac Cercina per pontem cum Cerciniti commissa, quasi duo castella; necnon in littore Byzacii, Cercinæ proximi, crebræ assurgebant turres, ignibus prænuntiativis munitæ. Terra autem Gindani aboliti fuerant, Lotophagi subacti, ager Carthaginiensis usque ad Tritona lacum prolatus, Theveste in ditionem redacta, ita ut ingens illa et opima regio mercatoria tuta esset ab omni vagarum aut atlanticarum gentium incursione.

Per multiplices vias, tanquam per indaginem, maritimus ager cum urbe junctus erat; quarum una, secundum mare, a Carthagine ad Sabratam per Thenas et Tacapen ferebatur; alia a Carthagine ad Thenas, Byzacium complexa. Africæ autem interioris merces Tacapen devehi solebant aut per Tritona lacum, qui tunc etiam navigia patiebatur, aut per binas vias quæ ingentem hujus alveum circumibant, sed imprimis per

australem viam quam supra descripsimus. Inde concludendum est Carthagini id contigisse ut in minorem Syrtim cogeret omne Africæ interioris commercium atque tanquam in promptu haberet.

Hanc mercaturam æstimamus, de qua nulla nisi disjecta passim indicia reperimus, fere sine ære signato factam esse, nihil aliud fuisse quam mutuas commutationes, et largissimos quæstus reddidisse. Illi ipsi commutabantur fructus ac merces qui nunc etiam, si mercatura iterum his in oris floreret, commutarentur : ex interiore terra accipiebant Carthaginienses et pelles, et ebur, et elephantos, et ova plumasque struthiocamelorum, et sal, et aurum, et gemmas et ebenum, et rhinocerotis cornua, et nigros servos. Quas merces, a Garamantibus præcipue suppeditatas, devehere solebant aut equi aut cameli aut plaustra gibberis bobus juncta, qualia depicta reperias in Telli-ssarhê aut Anaï scopulis. Necnon facile tibi finges negotiatores qui Emporia frequentabant nonnunquam adiisse mercatorias urbes in interiore Libya sitas; cæterum Pœnos ipsos traditum est memoriæ se illis socios addidisse, si suppeteret occasio.

Mercatura etiam fiebat in Emporiis aut fructuum ipsorum e littore collectorum et piscium quos seu inter brevia seu in Cercinæ vivario piscabantur, et salsamentorum, et spongiarum, et purpuræ, et caryotarum, et gummis, et olei ; aut fructuum qui Carthaginiensium navibus deportabantur, et textorum, et factorum manu metallorum, et byzaceni frumenti et libyci europæique vini, et mercis cujuslibet e Græcia Italiaque devectæ. Inter ea quæ solito commutabantur, frumentum, cujus et Byzacium feracissimum erat et vagæ gentes tantum indigebant, primas partes profecto tenebat ;

præcipua Emporia jure dicas ingentia fuisse horrea, et cellas quæ frumentis aliisque segetibus perpetuo refertæ suppeditabant unde Carthago cives suos militesque aleret. Omnes illi portus tam crebri (fere viginti numerantur inter *Caput vada* et Leptim majorem) inter se juncti erant assidua quadam mercatura quam Pœni navigiis orariis exercebant; propter brevia necesse erat ut merces levibus et plano alveo naviculis deveherentur e littore in onerarias naves quæ altum tenebant. Sola Emporiorum portoria Carthaginiensibus, ut jam dictum est, unum talentum quotidie reddebant, summam scilicet pro tributo duplam quo post Zamensem cladem affecti sunt.

Quid de Emporiorum historia constet, obscurius esse doluimus; id unum nobis licuit suspicari hujus regionis secretæ ejusdemque lautissimæ appetentes fuisse quum prædones maritimos ac gentium domitores tum migratores populos. Dorii qui Cyrenen occupabant se a Pythia designatos crediderunt qui ea poterentur; inde tanta illa subiit Ophellam audacia, cui quam male successerit vulgatum est. Agathocles satis habuit, ut videtur, eam diripere; qua mente bis eam penetravit. At unus ex ejus legatis, Eumachus, ulterius progressus, necnon bis prædatus, dum rediret devictus est, ita ut abrepta Emporiorum spolia secum abducere non potuerit. Ptolemæi reges post Ophellæ expeditionem hujus oram extremam quæ ad orientem vergit, a Philœnorum aris ad Turrim Euphrantam, dimidio sæculo occupavere. Romani autem navibus bis eam invadere tentaverunt; primum quidem, æstus crescentis quasi prodigio attoniti, diffugere : iterum classe advecti, satis habuerunt freti vetiti aditus, ut ita dicamus, violare. Quum atrox illud bellum in conductitias copias Pœni gesserunt,

Emporia, quippe quæ cives Carthaginienses incolerent, ab urbe genitali nunquam desciverunt. Jam autem fama percrebuerat hunc esse præcipuum fontem unde tantæ divitiæ Pœnis redundarent. Quum eam regionem Masinissa profugus perlustravisset, ipse oculis videre potuerat mercatorios comitatus ex australibus partibus in hoc ingens quasi macellum convenientes. Ut eo igitur descenderet romano proconsuli præcepit, ad horrea Carthaginis statim occupanda Pœnosque ex Africa interiore intercludendos unde et opes et exercitus eis suppetebant; ad Emporia scilicet tendebat Scipio quum eum venti coegerunt ut naves in oræ partem appelleret a qua tridui viam Carthago distabat.

Post Zamensem cladem Carthago Emporia retinuit : etenim ex ipso fœdere quod Scipio composuerat, quamvis romani legati id ita interpretarentur ut plus æquo Carthaginiensem agrum circumscriberent, Pœnis cedendum erat ex agro extra Fossas punicas patente : quod ad Emporia non pertinebat, quum mare syrticum Fossæ non attingerent. Quo maritimo agro servato, Pœni servabant simul uberrimum fortunarum suarum fontem, dummodo nobilium peculatu non exaresceret; itaque arbitramur Annibalem, quum rei nummariæ operam daret, ante omnia studuisse ut Emporiorum portoria melius procurarentur. Quo vero largiores fructus reddebant Emporia, eo vehementius irritabatur Masinissæ avaritia. Quod si conjectura per quam Livii opinionem ad Polybii verba accommodare tentavimus probabilis habeatur, anno 193 Masinissa, bello non denuntiato, Emporia vi et armis invasit; plana regione potitus, urbes mœnibus clausas frustra oppugnavit. Postquam igitur bellum acri dimicatione tres annos gestum erat, quum Carthaginienses anno 191 haud sa-

pienter rogassent ut quod tributum intra annos quadraginta exsolvendum erat id una pensione tunc etiam exsolvere sibi liceret, senatus anno 191 Emporia Masinissæ adscripsit; at idem, nostra quidem sententia, non consuluerit ut quod decreverat absolveretur; Carthaginienses enim videtur anno 151 Emporiis nondum omnino ejectos fuisse; quod vero negarunt se ex eis cessuros, inde ultimum illud satum est bellum quo deleta est Carthago et æquata solo.

Quid igitur de Emporiis deinceps evenerit, quærere non hujus est operis, alterius vero prorsus admodum diversi. Satis sit affirmare ea post Carthaginis excidium nulla fere fuisse. Quum auctore Cæsare Augustoque auspice Carthago rediviva surrexit, situ et dumetis eruta, regio illa Syrtibus adjacens nescio quid pristinæ dignitatis recuperavit; via autem quæ a Tacape ad Garamentas occiduos tendebat non jam omnino reclusa est. Aliam secuti sunt illi mercatores qui Lepti profecti in montem Ahaggar deportarunt Romanorum fastos [1] quos nunc etiam ibi repertos esse miramur. Floruit quidem, Septimio Severo curante, Leptis major : at Emporia jam non erant.

1. G. Rohlfs, *Reise durch Marocco,* 1860 : « die alte Julianische Zeitrechnung, » p. 140.

APPENDICES

A. — DE SCYLACIS PERIPLO

B. — QUEM AD LOCUM SCIPIO CLASSEM APPULERIT

APPENDIX A

DE SCYLACIS[1] PERIPLO

Utilissimum hoc documentum quis, quo tempore, quibus partibus conflatum scripserit, multis jam a seculis disputatur (v. C. Müllerum, *Geogr. min.*, I, *Prolegom.*, XXXIV-LI ; d'Avezac, *Grands et petits Géographes*, p. 97-107). Ad summam, doctissimorum judicum consensu, compilatio est, cujus partes aliæ alio tempore scriptæ sunt, quasdam narrator ipse vidit, cetera fando accepit. Inter has narrationis partes, quas auctor sic traditas conscripsit, illa profecto adnumeranda est quæ ad oram Libyæ, Cyrenas inter et Carthaginem, pertinet; cujus auctorem cyrenensem quemdam navarchum fuisse crederes, qui viam ipse confecisset. Ceterum florentissimis Pœnorum rebus[2], nondum infecto quarto A. C. seculo, conscriptas fuisse quum insigniores peripli partes tum hanc præcipue satis constat.

Qua quidem in perutili descriptione, ut ceteras omittamus, plura haud dubie desiderantur; unde amputa-

1. In hacce disputatione ut verbis parcamus, peripli scriptorem, quisquis fuerit, nomine a majoribus tradito *Scylacem* semper appellabimus.

2. Ὅσα γέγραπται πολίσματα ἢ ἐμπόρια ἐν τῇ Λιβύῃ ἀπὸ τῆς Σύρτιδος τῆς παρ' Ἑσπερίδας μέχρι Ἡρακλείων στηλῶν ἐν Λιβύῃ, πάντα ἐστὶ Καρχηδονίων (Scylax, § 111).

tam fuisse scripturam nonnulli censuerunt atque ad suam libidinem restituere conati sunt; harum vero lacunarum aliam nos rationem reddemus, quapropter eas supplere ne tantulum quidem aggrediemur.

Neminem enim fugit Syrtico mari, cujus in intimo recessu Emporia latebant, prohibitos fuisse nautas ab occidente advectos; orientis autem nautas tam restricte habere Pœni non poterant, neque exigere ut a Cyrenis in ipsum Carthaginis portum tenore uno adveherentur. Iis igitur mare Punicum non patere non potuit, sed certa lege constituta, id est stationibus quibusdam assignatis, aliis contra, præsertim in minore Syrti, omnino præclusis. Hunc rerum statum, nostra quidem sententia, detegit atque explanat pars ea peripli Scylacis quæ ad oram Libyæ pertinet. Cyrenensem igitur navarchum subsequamur :

1° A Cyrenis in portum Hesperidum (Berenicen, Benghazi) jam delatus, maritimum iter ab hoc portu usque ad Philœnorum aras navigator describit; at trajiciendi tempus in majus extollit (tres dies noctesque, 3000 stadia [1], ut ipse computat). Item, si ei credas, major Syrtis, — de cujus ambitu numerum manifesto falsum refert (π'),— ab Hesperidibus usque ad Neapolim scilicet Leptim majorem pateret. Cui navigationi tres dies noctesque assignat, mensuram sane omnino exactam quæ testatur hanc rectam viam assidue hisce temporibus celebratam fuisse. Tum indicat noster (et quidem minus accurate) quid valeat iter, non a Philœnorum aris ad Leptim majorem, sed, contra exspectationem, a majore Lepti ad Cinyphem fluvium, dein a Cinyphe ad insulas

1. Scylacem 500 stadia in navigatione unius diei, 1000 stadia in unius diei ac noctis numerare solitum C. Müllerus edocuit.

Candidas, ultra Philœnorum aras ad orientem sitas. Quod si autem, hinc omnium rerum ordinem confundi, illinc nullam urbem inter Cinyphem et Philœnorum aras referri attendas, credes navarchum non ipsum majorem Syrtim circumivisse, sed in Hesperidum portum delatum quædam de littore usque ad Philœnorum aras jacente audisse, dein ab Hesperidibus ad majorem Leptim navigasse, ibique alia quædam indicia, non admodum certa, de illo tractu qui Leptim majorem atque intimum Syrtis sinum interjacet, excepisse.

Unde conjici potest majorem Syrtim orientis nautis fuisse præclusam. Non sine causa ita Pœnos statuisse alio loco vidimus (cap. VII).

2° Scylax ter Neapolim (majorem Leptim) nuncupat : quantum illa ab Hesperidibus distet primum significans, et tanquam extremum majoris Syrtis finem constituens; dein, notans quantum absit a Cinyphe; denique, quantum a Gaphara. Nullum de illius portu verbum facit, quum contra de urbibus, quæ postea occurrent, sit accurate dicturus : πόλις καὶ λιμήν. Is profecto Leptim ob situm, non ob portum, memoravit. Inde censet Moversius impervium (« unbrauchbar ») Leptis portum consulto fecisse Carthaginienses. Nos vero parcius arbitramur eo non intrasse Scylacem, nec dirutum fuisse, sed externis clausum. Est ut Scylax extra urbem ancoras jecerit, forsan in ea Hermæi statione, de qua Stadiasmus (§ 93, 94).

3° « Ἀπὸ δὲ Νέας πόλεως τῆς Καρχηδονίων χώρας Γράφαρα πόλις..... »

Quem quidem locum, in quo sudaverunt interpretes (v. C. Müllerum, I, 85, in notis) explanare non adeo difficile nos arbitramur. Χώρα illa, ut e quibusdam aliis exemplis videre est, ipsius Carthaginis est territorium,

ager publicus; Leptis autem *civitas* est (quod ceterum e Livii testimonio novimus, XXXIV, 62), cui suus proprius ager. Scylax igitur, ab Hesperidibus Leptim directo vectus, non punicum agrum (χώραν) nisi hac urbe cum ejus agro superata, scilicet apud Gapharam, attinget; quod profecto nos monet diligenter.

4° Ἀπὸ δὲ Γραφάρων Ἀβρότονον πόλις καὶ λιμήν. Ταύτης ὁ παράπλους ἡμέρας μιᾶς.....

Quum ab urbe Gaphara (Mersa Beltan) Abrotonum (Sabrata, Taraboules-el-Kdim) DCCLX stadiis circiter absit, solitam unius diei navigationem (D stadia) navarchus excedit, simul ac portus conspicuos, inter quos Oeam, prætereundo omittit. Cujus rei nulla alia præberi potest causa, nisi quod illis portibus prohibebatur. Cur autem Abrotonum potius quam Oea patuerit, plane discernere nequimus.

5° Tum Scylax ab Abrotono ad Tarichias (in ostio lacus quem Bahirt-el-Biben vocant) defertur, a Tarichiis vero in insulam, quam non ipso nomine (Meningem), utpote qui loca græcis cognominibus potius quam popularibus nominibus designare perperam soleat, sed græca appellatione, ceterum satis justa, « Brevium insulam » nuncupat : Κατὰ δὲ ταῦτα ἐστι νῆσος ᾗ ὄνομα Βραχείων, μετὰ Λωτοφάγους καταριχίας..... » Quæ quidem verba manifesto corrupta sæpius emendare plures tentaverunt; eam vero curam, quum eamdem vim utique locus habeat, omittere nobis licet.

Qua quidem in insula, ubi posterius duæ atque etiam quatuor urbes designantur (Plinius, Ptolemæus, *Tabula Peutingeriana*), nullius mentio incidit apud Scylacem. Huc tamen appellere, hic commorari debuit, ut qui plura verissimaque de illa insula referat. Satis consentaneum est *barbaros* (gallice : Berbères) Lotophagos

qui eam incolebant domi sedere et agros colere a Phœnicibus edoctos, adhuc magnos vicos (κώμας), non urbes habitasse, quanquam et portibus utebantur in quos externi commearent; idem fuisse apud Illyrios Scylax ipse testatur : Ἡ δὲ Χαονία ἐστὶν εὐλίμενος· οἰκοῦσι δὲ κατὰ κώμας οἱ Χάονες..... » (§ 28).

6° Μετὰ δὲ τὴν νῆσόν ἐστι Ἔπιχος πόλις· ἀπὸ δὲ τῆς νήσου εἰς Ἔπιχον πλοῦς ἡμέρας ἡμισείας. Ἀπὸ δὲ Ἐσχίδων πλοῦς ἡμέρας. Καὶ νῆσος ἔπεστιν ἐπ' αὐτῇ ἐρήμη. Μετὰ δὲ αὐτὴν Κερκινῖτις [1] νῆσος καὶ πόλις, καὶ κατὰ ταύτην Θάψος..... »

Qui quidem locus ab interpretibus et præsertim a C. Müllero, qui minoris Syrtis per circuitum Scylacem circumducere quoquo modo studet, mirabiliter retractatus est. Nos autem non tam minorem Syrtim quam majorem subiisse cyrenensem navarchum arbitramur, ideoque prorsus vanum esse quidquam scripturæ intexere, et satis fore si illam, qualis sit, illustremus. Quod illico experiamur.

Nostra sententia Scylax in Meninge percontatus de recondito illo sinu cujus ante ostium, jubente Carthagine, inhibetur, audit urbem quamdam, nomine Ἔπιχον, ad occasum esse, dimidiati diei navigatione a Meninge, totius diei ab alia urbe (ultra Meningem ad orientem sita) distantem; quæ quidem urbs, in loco citato, verbo Ἐσχίδων designatur; necnon urbi Ἐπίχῳ desertam insulam adjacere, qua priscum emporium peculiariter significatur (v. cap. II). Ita de arcano illo sinu jam paulo certior factus, a Meninge Cercinitim, inde Thapsum petit, scilicet minorem Syrtim quasi prævehitur, sed non introit; neque ullum ex iis Emporiis invisit quæ nautis occidentis diligentius occultabant Pœni quam ut orientis aperirent.

1. Ἀκακινίτης in codice. Hoc solum mutandum esse concedimus, ex necessitate.

Huic nostræ interpretationi, admodum simplici, si non fallimur, et priscæ scripturæ optime parcenti, et Carthaginiensium notis artibus consentaneæ, duo tantum objici possunt, et quidem levioris ponderis: primo inquiri potest cur quantum distet a « Brevium insula » Cercinitis Scylax non declaret. At utique eadem occurrit difficultas vel in novo ac miro illo itinere quod Scylacem secutum C. Müllerus fingit (a Meninge ad Gichthin, dimidia diei pars ; a Gichthi ad Macomades, una dies ; a Macomadibus ad Cercinitim, tempus desideratur). Gravius hoc objicietur, mirandum esse, non quidem ut urbis Ἐπίχου situm duorum locorum intervallis, non unius, Scylax definiat (in priscis periplis id nonnunquam evenit, v. Stadiasmum, passim), sed ut ex iis duobus locis unus fuerit non ante commemoratus. Nihil profecto, quo hunc nodum solvamus, succurrit ; at summam rei minime in eo consistere credimus, nostramque interpretationem, si in universum pendere velis, et verisimillimam esse, et quæ integræ scripturæ aptius congruat, et quæ perenni Carthaginiensium instituto optime consentiat.

7° A Cerciniti Thapsum Scylax petit, unius diei et dimidiæ navigatione. Australes igitur Byzacii portus, Thenas, Usillam, Achollam, etc., omittit ; quod quidem demiraremur in vulgari periplo, præsertim quum præter oram, in his littoribus, nautæ cursum tenerent (Strab., XVII, III, 20. Cf. infra, p. 205-206.) Optime contra res comprobatur, si nostra nos conjectura non fefellerit, quum non minoris Syrtis modo verum etiam huic proximos Byzacii portus alienigenas Carthago celaverit (Polyb., III, 23. Vide supra, p. 14, n. 2).

8° Scylax, quatenus ex scriptura, in hoc loco nonnihil mutila ideoque subobscura, existimari potest, non

modo ad Thapsum appellit, sed etiam tum ad Leptim minorem fortasse, tum certe ad Hadrumetum, portus et Carthagini viciniores et ab australibus Emporiis longius distantes quam ut ad Pœnos attineret eos orientis nautis præcludere. Huc autem advectus, sermonem quodammodo abrumpit ut (ad quod stupeas!) de minore Syrti plura referat : Ἀπὸ δὲ Θάψου**** (καὶ Λέπτεως supplevit Müllerus) τῆς μικρᾶς καὶ Ἀδρύμητός (καὶ δρονίτις codex habet) ἐστι κόλπος μέγας εἴσω, ἐν ᾧ ἡ Σύρτις ἐστὶ ἡ μικρὰ, Κερκινῖτις καλουμένη, πολὺ τῆς ἄλλης Σύρτιδος χαλεπωτέρα καὶ δυσπλοωτέρα, ἧς τὸ περίμετρον στάδια ,ϐ. Ἐν ταύτῃ τῇ Σύρτιδι ἐνέστηκεν ἡ νῆσος Τριτωνὶς καλουμένη (καὶ ἡ λίμνη, satis probabiliter emendaverunt), καὶ ποταμὸς Τρίτων, καὶ αὐτόθεν ἐστὶν Ἀθηνᾶς Τριτωνίδος ἱερόν. Στόμα δὲ ἔχει ἡ λίμνη μικρὸν, καὶ ἐν τῷ στόματι νῆσος ἔπεστι · καὶ ὅταν ἀνάπωτις ᾖ, ἐνίοτε ἡ λίμνη οὐκ ἔχειν εἴσπλουν ἐστὶ φαίνουσα. Ἡ δὲ λίμνη αὕτη ἐστι μεγάλη, τὸ περίμετρον ἔχουσα ὡς σταδίων δισχιλίων. Περιοικοῦσι δὲ αὐτὴν Λίϐυες πάντες ἔθνος καὶ πόλις τὰ ἐπέκεινα πρὸς ἡλίου δυσμάς. Οὗτοι γὰρ ἅπαντες Λίϐυες λέγονται ξανθοὶ, ἄπαστοι (?) καὶ κάλλιστοι. Καὶ ἡ χώρα αὕτη ἀρίστη καὶ παμφορωτάτη, καὶ βοσκήματα παρ' αὐτοῖς ἐστὶ καὶ μέγιστα καὶ πλεῖστα. Καὶ αὐτοὶ πλουσιώτατοι καὶ κάλλιστοι. Μετὰ δὲ τὴν Σύρτιν ταύτην Νεάπολίς ἐστι. Παράπλους δὲ ἀπὸ Ἀδρύμητος ἐπὶ Νέαν πόλιν..... κτλ..... [1].

Ergo, ut est opinio Scylacis, usque ad Hadrumetum Syrtis minor patet, ipsum Hadrumetum continens ; totus is arcanus sinus est, cujus solos aditus, scilicet Meningem et Cercinitim et Thapsum, attigit. Cur autem non ante Hadrumetum, a minore Syrti jam discessurus, omnia illa nos docet, et ea præcipue quæ ad fluvium Tri-

1. C. Mülleri scripturam adhibuimus, exactissimam profecto, quotiescumque sibi temperat vir ille doctissimus quin eam ad suas ipsius geographicas rationes torqueat.

tona, ad lacum, ad insulam Tritonidem pertinent? Cur illa non notavit quum eos ipsos locos præterivit? Certe quod non eos præterivit. Quamobrem vero potius Hadrumeti quam Meninge aut Cerciniti illa notavit? Quia ea, ubi accepit, persignavit. Quod plane demonstrat res inter alias relata, minori Syrti circuitum bis mille stadiorum esse, quæ mensura neque ad rem, — nam Syrtis minor, qualis natura definitur, a Thenis usque ad Meningis aditum, circuitum mille stadiorum ad summum habet, — neque ad numeros aliorum geographorum quadrat [1], sed mirum in modum oræ Hadrumetum Meningemque interjacenti congruit [2]. Hadrumeti igitur de hac re Scylax monitus est. Attendas præterea, quandoquidem littoris illius mensuram tam certe Hadrumetini mercatores cognoscerent, circumvectionis commercium præter illud, non ab externis quidem, sed a punicis negotiatoribus assidue usurpatum fuisse.

Ne plura, quod jam supra de majore Syrti subobscure deprehensum est, nunc de minore manifestius patet : Scylacem in uno atque altero secreti hujus maritimi tractus termino, scilicet Meninge et Hadrumeti, et de illo intimo audiisse, et audita prescripsisse ; unde indubitate constat intra hunc sinum minime eum penetravisse.

Ipsa vero relata si intueamur, ea plus minus vera inveniemus : Meninge enim, et de urbe Ἐπίχῳ et de illius insula (Tacapensi emporio videlicet) Scylaci perlatum est ; Hadrumeti, navarcho nostro narraverunt minorem Syrtim multo periculosiorem esse quam majorem (fal-

1. MDC stadia secundum Eratosthenem, a Strabone laudatum ; CCC millia passuum, seu MMCCCC stadia secundum Polybium Pliniumque.

2. Quam quidem satis accurate circino legentes, ad 370 aut 380 gallica millia (kilomètres) æstimamus. (Carte du Dépôt de la guerre, 1857.) 2000 stadia = 370 kilom.

sam quidem famam, sed Pœnorum consilio vulgatam), addideruntque huic bis mille stadiorum ambitum esse, quod profecto verissimum est, ea quidem ratione quam ante diximus; plura etiam tradiderunt et de flumine Tritone, cujus ostium, æstu recedente, fit inaccessum; et de insula templo Ἀθηνᾶς Τριτωνίδος (*Thanit*, si Moversio fides est?) ornata; et de lacu, ambitum circiter mille stadiorum habente (mensuram multo angustiorem), et de urbe ad occasum lacus sita (Tôzer aut Nefta); necnon de illis Libyibus, flavis capillis et præstanti corpore, qui ripas ejus incolerent (Amâzigh); denique de illius agri (χώρας) bonitate, fando forsan amplificata, verumtamen ab ipso Polybio, cui tanta fides debetur, testata et consignata [1].

9° Ab Hadrumeto Neapolim Scylax petit; quam urbem « Carthaginiense Emporium » appellat Thucydides (VII, 50), scilicet proprie sibi addictam Pœni obtinebant, inter socias tractus illius Libyphœnicum civitates interpositam, projectum quasi præsidium in mari Punico. Quanto usui Pœnis hoc Emporium fuerit, apud Scylacem videre est, ex quo comperimus viam exstitisse CLXXX stadia longam, a Neapoli ad ostium cujusdam fluminis (Oued-Soliman, credimus) ducentem, unde dimidiæ diei navigatione Carthaginem petebant; quo pacto Hermæum promontorium (Ras Adar) periculoso cursu ne præterveherentur cavebant.

1. III, 23... διὰ τὴν ἀρετὴν τῆς χώρας. — Cf. XXXII, 2; — Fertilis ager, ea tempestate, Tritona lacum videtur attigisse (v. Herod., IV, 186, 187, etc. Cf. Tissot, « *La Libye d'Hérodote* », *Bulletin de Correspondance Hellénique,* juin-juillet 1877. Cf. Plinii locum (VI, 33), jam supra laudatum (cap. VI, p. 86, n.). — Nostris vero temporibus multo angustior est. Masinissa Romanique et Arabes, quum homines sustulerint hanc regionem australibus arenis aperuerunt.

10° Capitis 110, in Scylace, is est finis : » Ἡ δὲ Καρχηδονίων χώρα ἐστὶν ἐν κόλπῳ..... » Toto autem in capite de uno tantum *sinu* sermo est, de illo scilicet qui ab Hadrumeto usque ad Meningem flectitur. Ergo in hoc sinu, id est in minore Syrti, quærenda est Carthaginiensium χώρα. Quod quidem licet inopinatum minime profecto mirabimur, memoria repetentes Polybium, duobus saltem in locis, ad minoris Syrtis oram designandam eodem ipso verbo (χώρᾳ) uti, et Scylacem nuper dixisse Carthaginiensium agrum (χώραν) a Gaphara incipere. Denique res omnino plana erit, si Livii cujusdam loci, celebratissimi sane, et perperam semper interpretati, meminerimus : « Masinissa..... *agrum maritimum* eorum (Carthaginiensium)... depopulatus est... Emporia vocant eam regionem. Ora est minoris Syrtis et agri uberis. Una civitas ejus Leptis..... » (XXXIV, 62). Una igitur civitate Lepti excepta, cetera minoris Syrtis Carthaginiensium maritimo agro (χώρᾳ) contineri Livius declarat. Quod idem ibi Scylax indicat, mutatis tantum verbis. Et ideo nos hoc monet quod, quas novissimas invisit urbes, ultra sinum, ad septentriones, Libyphœnicum civitates sunt, et sociæ, et tributariæ, sed extra τὴν χώραν.

Quod si vero in capitis fine, non suo loco, hæc pauca verba postponi attendas, facile credes adjecta in margine fuisse ac posterius in scripturam infra locum ubi decuit interpolata; quum autem post eversam Carthaginem adjici non potuerint, idem apud nos valent ac si ab ipso peripli auctore manarent.

Breviter nunc summam contrahamus. A Cyrenis navigator profectus ad Hesperides venit, ubi nonnulla de itinere ab Hesperidibus ad Philœnorum aras excipit; ab Hesperidibus Neapolim (Leptim majorem) tendit, ubi de

ora inter Leptim et majoris Syrtis intimum sinum jacente nonnulla alia comperit; Leptis portum ceterum non subit, foris autem videtur anchoras, fortasse in Hermæi statione, jecisse; inde Gapharam petit, ad quam primam punici agri (χώρας) urbem appellit, utpote qui majoris Syrtis oram non sit prætervectus; a Gaphara Abrotonum, Oeam omittens; ab Abrotono Tarichias, indeque « Brevium insulam » (Meningem), ubi et commoratur, et sciscitatur, et audit de urbe Ἔπιχος nuncupata (Tacape?); a Meninge autem, non minorem Syrtim introit ac circumit, verum Cercinitim aut Cercinam defertur, dein Thapsum et Hadrumetum, ubi plura, et quidem satis vera de eo sinu quo prohibitus est accipit et memorat (scilicet mensuram oræ inter Hadrumetum et Meningem, Tritonis fluminis ostium et insulam et æstus, magnum interiorem lacum, urbem hujus ad occasum jacentem (Nefta?), Libyes flavos in illo tractu, uberem regionem quæ punici agri (χώρας) proprie sit, etc.). — Dein attingit Neapolim, punicum Emporium, sociis Byzacii civitatibus insertum, unde via terrestri ad sinum Carthagini proximun tenditur et Hermæum promontorium declinatur.

Hoc igitur modo eam Scylacis peripli partem interpretamur quæ ad Syrtici maris navigationem pertinet. Qua ratione, hinc peripli scriptura observatur, nec torquetur ; illinc enucleantur, non ea modo quæ videntur desiderari, verum etiam quæ incomposita atque inordinata prima specie existimes. Adde nostram conjecturam mori quo Pœni in agendis commerciis utebantur plane quadrare.

Quis vero omnia ea descripsit? Strabo *Ophelam* quemdam laudat, qui periplum usque ad Oceani punica Emporia pertinentem ediderit; Marcianus Heracleensis

(C. Müller, *Geogr. Min.*, I, 565) iis qui tum de universis maris interni et Oceani littoribus, tum de certa eorum parte periplos scripserant *Apellam* quemdam *cyrenensem* annumerat; Diodorus autem *Ophellæ* res gestas memorat, Olyntho oriundi (Aristot., *Œconom.*, II, 35), nobilem ex Athenis uxorem habentis, qui primum sub Alexandro inter amicos stipendia fecerat, dein legatus Ptolemæi et denique Cyrenarum dynastes evaserat. C. Müllerus (I, *Prolegom.*, XXIV, quem Meltzerus secutus est, p. 391) ex tribus hisce viris unum constare suspicatur. Quod quidem satis verisimile est, mera vero conjectura. Nobis vero quod si eadem licentia concedatur, cur non conjiceremus peripli scriptorem, secundo A. C. sæculo sub nomine Scylacis conflati (d'Avezac, p. 100), ex Ophellæ periplo, qui quarto sæculo editus fuerit, et Libyæ et Ægei maris descriptionem assumpsisse? Omnes illæ acutæ animadversiones, propter quas Scylacis periplum medio A. C. quarto sæculo exaratum fuisse contendunt (C. Müller, *Geogr. min.*, I, *Proleg.*, p. XLIV), fidem haberent, non quod ad compilationis summam, secundo sæculo, ut videtur, conditam, sed quod ad omnes locos ex Ophellæ periplo depromptos attinet. Quicquid id est, rei nostræ profecto parvi interest ut subtiliores has quæstiones excutiamus; sed potius ut demonstremus quid valeat peripli auctoritas, et quemadmodum eam ad nostrum propositum accommodare fas et consentaneum censuerimus.

———·———

APPENDIX B

QUEM AD LOCUM SCIPIO CLASSEM APPULERIT

De loco ad quem Scipio classem appulerit a plerisque historicis dissentimus. Vulgo enim constat ad promontorium Ras Sidi Ali, ultra Uticam versus septentriones, factam fuisse exscensionem. Quod quidem ex his conjectatur :

1° Ex Appiani auctoritate : « ἐς ἣν ['Ιτύκην πόλιν] ὁ Σκιπίων καταχθεὶς ὑπ' ἀνέμων..... » (VIII, 13). — At profecto, in hac parte, inter nonnulla utilia, plura vix credibilia vel male conjuncta Appianus enarrat. Is enim, qui quatuor ferme seculis post Scipionem degebat, alios sequitur nec semper conciliat. Est ut « ad Uticam ventis delatum Scipionem » non priorum auctorum fide, sed Livium male interpretatus, asseruerit.

2° Ex ea opinione, quam protulit Sainte-Croix *(Mémoires de l'Acad. des Inscript.*, 1793) « Pulchrum promontorium » esse non Ras Adar, sed Ras Sidi Ali. Quo dato, noster error esset, non Appiani. In eam vero sententiam si concedatur, nec fœdus anno 509 ictum, nec ea quæ insuper explicando Polybius addit (v. cap. VIII) intelligi possunt. Ceterum, quum nullo alio fundamento Sainte-Croix utatur nisi Livium ex arbitrio suo interpretantis Appiani auctoritate, quam redarguimus, res prorsus infirma ad probandum est.

Nos autem, quod Polybius « Pulchrum promontorium » vocat promontorio Ras Adar ex necessitate respondere credimus, gravissimos auctores secuti (v. cap. VIII, p. 107); diligentissimam vero Livii narrationem ea tantummodo lege plane dilucidam fore ut Scipionem putemus, Hermæo explorato, non ad occidentem, sed ad meridiem iter perrexisse. Cur Taphitim promontorium pro Pulchro aut lapsu quodam aut consulto habuerit, hujus rei ratio facile redditur (v. p. 175). In hoc vere impedimur, ut de itinere ab Aspide ad Uticam nullum Livius verbum faciat; at constat eum, quum Polybium seu vertit seu in breve cogit, sæpius res istiusmodi desiderandas neglexisse.

Quicquid id est, si fallimur, in uno tantum puncto erramus : non in conspectu Taphitis promontorii, sed jam ab Hermæo Scipio propositum sibi consilium, ut Emporia peteret, omiserit; sed ei primum in animo fuisse ut Masinissam in Emporiis conveniret, minime quidem ambigi potest.

Vidi ac perlegi
Lutet. Paris. in Sorbona
A. d. III non. Aug. an. MDCCCLXXX
Facult. Litter. in Acad. Paris. decanus,

H. WALLON.

Typis mandetur :

Academiæ Parisiensis rector,

GRÉARD.

CONSPECTUS ARGUMENTI

CONSPECTUS ARGUMENTI

Le Puy. — Imp. Marchessou fils, boulevard Saint-Laurent, 23.

1881

CARTE DES EMPORIA PUNICA
DES DEUX SYRTES

Dressée d'après la carte marine de

E. MOUCHEZ

Echelle de $\frac{1}{2.000.000}$

Les courbes marines tracées en lignes pointillées indiquent, la première une profondeur de trois mètres, la seconde une profondeur de dix mètres.


MARE MEDITERRANEUM


SYRTIS MINOR

SYRTIS MAJOR

Tritonis lacus
Neapolis Tritonis Ostia
Tacape *Gabes*
Thenæ *Henchir Tina*
Macomades Minores *Onugha*
Cellæ Picentinæ *Eu Nadour*
I. Cercina *I. Hamla*
Roches de Chraga
Cercina *Bordj-el-Mersa*
I. Cercinitis *I. Gherba*
I. Meninx, Girba *I. Djerba*
Gerra *Bordj-el-Menin*
Meninx *Bordj-el-Kantara*
Ponte Zita *Ras Chominakh*
Villa Magna *Henchir Medina*
Zuchis
Pisindon Portus *Bou Seala*
Tarichiæ Presidio *Bordj-el-Biban*
Zeucharis *Dukhla*
Cypsaria Taberna *El-Mairah*
Locri *Zoara*
Sabrata
Œa Macaroea *Tripoli*
Bilan, Vax Villa Repentina *Sidi Blal*
Megradi Villa Aniciorum
Gelulli
Cercar
Insula
Hermæum *Mersa Ligata*
Leptis Magna, Neapolis
Lebda
Barathra *Mersa Zliten*
Cinyps *Mersa Gugra*
Point remarquable (Mouchez)
Pr. Trikeron, Cephalæ *C. Mesrata*
Cisternæ ?
Tarichiæ Macomada *Djebel Melfa*
Aspis *Sidi Oulfeuda*
Mysinus Insula ? *Banc Djerid*
Sacamaza *Zeurfeh*
Dysopos *Mersa Zubak*
Euphrantas Turris
Macomades Selorum *Mersa Zafran*
Charax Iscina *Medinet Soult'an*
Opiros *Bou Saida*
Hippou Acra *Ras Bergaouad*
Ras Linouf
Ras Ali
Aræ Philænorum *Morne Moukhtar*
Automala, *Mersa Brega*
Leucæ Insulæ *I. Legara, I. Hericha*
Hesperides *Benghazi*

Imp. Topog. et Grav. de Robert et Lepage, Graveurs, à Douai






UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 076262846